Schäfer.
De philosophiae Annaeanae in Senecae tragoediis vestigiis.

DE PHILOSOPHIAE ANNAEANAE IN SENECAE TRAGOEDIIS VESTIGIIS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

PAVLVS SCHAEFER

GROSSROMSTEDTIENSIS

WEIDAE

TYPIS THOMAE ET HUBERTI

MCMIX

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

Jena, den 3. März 1909.

Geheimer Hofrat Professor Dr. Hirzel,
d. Zt. Dekan.

PARENTIBVS · CARISSIMIS

SACRVM

Raro de monumentis litterarum antiquitatis a viris doctis tam varie atque etiam contrarie iudicatum est quam de tragoediis, quae sub L. Annaei Senecae nomine traditae sunt. Ab his summis laudibus extollebantur, ab illis omnino contemnebantur. Sed ne repetamus, quam incredibili paene modo Lipsii et J. J. Scaligeri iudicia inter se abhorreant, illorum tempore remotissimo neglecto, duos recentiores et summos viros commemorare liceat. Etenim cum Lessing his tragoediis aliquid tribuerit,[1] omnino a contraria parte F. A. Wolf profectus eis, quae Lessing de Hercule furente et Thyeste disseruerit, demonstrari affirmavit, quomodo malae res dolis defendantur.[2] Ac si quaeritur, quibus de causis talis iudiciorum discrepantia[3] orta sit, respondendum esse arbitramur viros doctos in dubio fuisse de ratione, qua tragoediae considerandae sint, nec satis curavisse, quid poeta his tragoediis sibi proposuerit quoque in fundamento quasi exstruxerit ac composuerit fabulas: itaque ipse Lessing postea adeo in contrariam sententiam pervenit, ut tragoediarum personas gladiatores cothurnis ingredientes appellet, quibus non commoveamur quosque admiremur. Similiter quicumque viri docti post Lessingium has tragoedias vituperaverunt, hoc ideo fecerunt, quod, quamquam tragoediae,

[1]) Lessings Werke, ed. Lachmann, Lips. 1854, IV, 287: „Überhaupt werde ich mich hoffentlich auf die Empfindung der Leser zum Vorteil meines Dichters berufen können. Starke Schilderungen von Leidenschaften können unsere Leidenschaften unmöglich ganz ruhig lassen. Und diese wollen wir vornehmlich in den Trauerspielen erregt wissen. Hat man den Zorn der Juno, . . . die Bitten eines Vaters gefühlt, so kann der Dichter gewiß sein, daß man ihm seine Fehler willig vergeben wird. Und was sind es denn endlich für Fehler? Er ist mit den poetischen Farben allzu verschwenderisch gewesen; er ist oft in seiner Zeichnung zu kühn . . . Lauter Fehler, in die ein schlechtes Genie niemals fallen wird!"

[2]) F. A. Wolf, Vorlesungen über röm. Literaturgeschichte, 133.

[3]) Welcker, Die griech. Tragödien, Bonn 1841, II, 1453 adnot. 53; G. Richter, de Seneca trag. auctore, 1862, 1 adnot. 1.

quae in scaena repraesentarentur, haud dignae videbantur, tamen tragoediarum nomine, sub quo libri manuscripti fabulas tradunt, adducti sunt, ut omnia ad summam tragicam artem, etiam Graecorum poetarum principum, revocanda esse putarent. Suo iure tandem anno 1841 F. G. Welcker criticos ita admonuit[1]): „aber leichter wird man die großen und vielfachen einzelnen Schönheiten und den Erguß dieser Sprache würdigen, wenn man sich nicht durch die Voraussetzung und Forderung dramatischer Kunstwerke und poetischen Gefühls den Gesichtspunkt verrückt und sich von vornherein Verstimmung bereitet. Nichts ist daher zweckloser, als diese Rezitationen mit griechischen Tragödien, den rhetorisch kältesten Dichter mit dem tragischsten zu vergleichen, um den einen über den andern, oft gar den Römer, wie immer wieder geschieht, über den Griechen zu erheben". Cui sententiae etiam F. Leo favens[2]) „istae vero", inquit, „non sunt tragoediae, sed declamationes ad tragoediae amussim compositae et in actus deductae; . . . itaque non comparabimus cum graecis has tragoedias ut artis opera, sed earum argumenta tantum et argumentorum tractationem. nimirum a prioribus Romanorum tragicis Seneca et in eligendis argumentis et in tractandis ita discessit, utriusque rei causam ut in studiis rhetoricis sitam esse eluceat". Sed quamvis haec utriusque viri doctissimi verba in universum probemus, tamen Senecam philosophum quidem, quem ingeniosissimum inter omnes illius aevi viros fuisse constat quemque paene per totam vitam suam in philosophis quaestionibus diligentissime versatum esse ex scriptis[3]) novimus, nihil nisi ista rhetorica artificia, ut Leo putat,[4]) in tragoediis sibi proposuisse nullo modo credi potest. Immo si quis de causis, quibus Seneca permotus fabularum argumenta et argumentorum tractationem mutaverit, aliquid certius quaerat, inprimis ei philosophos libros esse adeundos arbitramur ac disquirendum, quae ratio intercedat inter hos libros

[1]) l. l. III. 1452 sq.

[2]) F. Leo, L. Annaei Senecae tragoediae, 1878, I, 158.

[3]) cf. inprimis L. A. Senecae ep. moral. (ed. F. Haase), 108.

[4]) l. l. I, 158: istae . . . declamationes . . ., in quibus si quid venuste vel acute dictum, floride et figurate descriptum, copiose narratum esset, plaudebant auditores, arti satisfactum erat; — porro pag. 159: iam summum negotium erat sic omnia contrahere et amplificare ut quam uberrima declamandi describendi altercandi materia et locus suppeteret.

Senecae et tragoedias. Quod quamquam iam F. G. Welcker optime monuit his verbis: „noch nützlicher freilich wäre es, die Trostschriften und andere des Seneca genauer mit diesen tragischen zusammenzuhalten und diese aus jenen zu erklären“, nimis tamen adhuc viri docti neglexerunt. Neque enim istas singulas sententias e contextu obiter dereptas, quas Sandstroem,[1] L. v. Ranke,[2] F. Kunz,[3] cum omnino alia sibi proposuissent, in unum contulerunt, huic desiderio ullo modo satisfacere dices; nec profecto quicquam proficere ad eandem rem tales locos communes commemorandos evidenter iam hac re demonstratur, quod cuncti hi viri Octaviam ceterasque tragoedias uni et eidem poetae adscribere posse sibi videntur; quod cum haudquaquam fieri possit, nimirum per se ad irritum pervenerunt. Itaque ut paucis dicamus, quid de his viris, qui quidem rationes ad philosophiam spectantes tractaverint, sentiamus: magis attigere quaestionem quam solvendam curavere. Omnino casu quodam rem incohavit F. Kunz; Sandstroem, quamvis haec illaque quae nemo non videt congruentia enumeraverit, crassiora tantum adumbravit, parum vero subtiliter cetera tractavit; denique Ranke potius verbis utriusque auctoris congruentibus quam sententiis permotus esse videtur; qua ex re cum et unum eundemque esse auctorem et imitatorem sententias corrasisse concludi possit, ante omnia exquirendum est, utrum in Annaeanis scriptis hoc an illud statuendum sit.

Atque revera crebrius in philosophis libris elocutiones verbaque usitata Seneca eadem repetit; nec alia causa permotus esse nobis videtur, quam quod acuminibus quam maxime luculentis uti amabat, qualia scilicet optime ad verbum memoria retineret. Haec pauca tantummodo exempla afferre liceat: de ira II, 10, 3: „necesse est multos timeat, quem multi timent“. De clem. I, 19, 5: „tantum enim necesse est timeat quantum timeri voluit“. Ep. 105, 4: „qui timetur, timet“. De moribus 61: „qui a multis timetur, multos timet“. Quid ergo miraris, si in tragoediis legeris (Oed. 706): „timet timentes?“ Porro ut invenis ep. 70, 8: „stultitia est timore mortis mori“;

---

[1]) C. E. Sandstroem, de L. Annaei Senecae tragoediis, 1872, 104 sq.
[2]) L. v. Ranke, Werke ed. A. Dove u. Th. Wiedemann, Leipz. 1888, 51, 19 sq.
[3]) F. Kunz, Sentenzen in Senecas Tragödien, Wiener-Neustadt 1897.

ep. 24, 23: „immo dementiam, ut quidem timore mortis cogantur ad mortem", ita Troad. 869: „optanda mors est sine metu mortis mori". Item ut de benef. III, 37, 3: „hoc est regnum, nolle regnare cum possis", ita Thy. 470: „immane regnum est posse sine regno pati". Etiam haec imago perspicue ficta repetitur, quae sane, cum semel tantum videris, semper oculis tuis se offeret (ep. 82, 12): „omnia ista per se non sunt honesta nec gloriosa, sed quicquid ex illis virtus adiit tractavitque, honestum et gloriosum facit: illa in medio posita sunt. interest utrum malitia illis an virtus manum admoverit"; cf. Thy. 203/4: „aut perdet aut peribit: in medio est scelus positum occupanti"; vel hoc respice (de clem. I, 19, 5): „errat enim, si quis existimat tutum esse ibi regem, ubi nihil a rege tutum, sed securitas securitate mutua paciscenda est", et cf. Agam. 267/8: „dat ille veniam facile, cui venia est opus Itane est? pacisci mutuam veniam licet?"

Nec vero solum consuetudinem contrariorum inter se acuminum usurpandorum usumque paria verba diversis locis repetendi in Senecae animo necessitudine inter se cohaesisse illis exemplis supra allatis demonstratur, sed etiam ipsum in talem condicionem pervenientem quasi ante oculos habemus hoc qui sequitur loco (ep. 97, 13): „eleganter itaque ab Epicuro dictum puto: potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest. aut si hoc modo melius hunc explicari posse iudicas sensum: ideo non prodest latere peccantibus, quia latendi etiamsi felicitatem habent, fiduciam non habent. ita est: tuta scelera esse possunt, secura non possunt", cum nimirum eadem repetantur ep. 105, 8: „tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum" et Phaed. 164: „scelus aliqua tutum, nulla securum tulit". Itaque postquam animo suo aliquas sententias adeo accommodavit, ut satis ipsi placerent, eas tunc sive verbis sive sensu sive utraque re notabiles et ipsum facile memoria tenuisse[1]) et speravisse aliis hominibus fore

---

[1]) Certe nostris quoque temporibus artifices inaudita vi memoriae excellentes simillime agunt; quam Senecae philosophi consuetudinem ex institutione patris ortam esse conicimus, cum huius viri permagnam vim memoriae veteres admiratos esse notum sit atque eundem, ut filios de suis artibus quam optime erudiret, operam dedisse ex controv. II, praef. 4 aliisque locis cognoscamus (cf. p. 285).

ut viderentur quam maxime memorabiles intellegimus.[1]) Sed haec satis esse exemplorum putamus, e quibus potius ipsum philosophum quam expilatorem eius tragoedias composuisse e verbis congruentibus concludendum esse demonstravimus. Ranke autem ut hanc quaestionem omnino neglexit, ita eodem modo quo Kunz et Sandstroem magis verba, quam ipsum sensum, magis singulas quasdam res quam conexus, magis formas sententiarum quam causas medullamque comparavit.

Unus tantummodo, qui de Annaeanis tragoediis scripsit, de omnibus his rebus ad ordinem quendam revocatis uno tenore disseruit, M. D. Nisard (a. 1834), quamvis Welcker nil de eo commemoraverit, in studiis quae inscripsit: „Etudes de moeurs et de critique sur les poètes latins de la décadence, Paris 1834," ubi a pag. 68 res ad philosophiam pertinentes Senecae tragoediis insertas tractavit. In quibus tamen iam hoc, quod placita philosopha et moralia vel, ut ipsius verbis utamur: „la philosophie et la morale" in duas partes distraxit, vituperamus, cum Seneca omnibus quae sunt ad humanas res relatis philosophiam omnino legem vitae esse doceat[2]): cf. ep. 94, 39; 117, 12; 89, 13. Ac quid de singulis rebus, quae his dissertationis duabus partibus explicatae sunt, iudicandum sit, ea re clarius patet, quod ex sententiarum varietate licentiaque, quam de immortalitate utrisque operibus inesse dicit, verum auctorem ab imitatore discerni vult. Nonne melius fuit his rebus non tam leviter perstrictis quam diligentius exquisitis veram utriusque auctoris opinionem pervestigare exploratamque comparare? Eadem ratione quaerimus, quid ex hac re concludi possit, quod etsi nullos deos, tamen fatum certum uterque auctor crediderit, nisi quaestionem simul per singulas partes accuratius persequamur? Nihil profecto, quoniam vix unus illo aevo inveniatur deos quidem nec vero fatum credens. Quare, ut paucis absolvamus, ea quae Nisard disputavit, quamvis conexus sententiarum, quos illi viri docti omnino neglexerunt, melius exponantur, tamen nimio levius omnia perstringuntur, ita ut paucissimis testimoniis singulae quaestiones quae sunt tractandae nitantur. Quae cum ita sint, ut etiam falsa profiteretur, accidisse mani-

---

[1]) cf. ep. 108, 8sqq.

[2]) E. Zeller, Die Philosophie der Griechen, III³, 1, 696.

festum est; nam perversa sunt verba huiusmodi quae dicit p. 71: „tous les personnages des tragédies de Sénèque sont fatalistes“, cum id inprimis poetam egisse infra cognoscamus, ut homines et malefici et boni a nulla re, neque a fato neque a dis, nisi a suis moribus in rebus gerendis praecipue pendeant. Non magis haec quae p. 78 exposuit probanda sunt: „du temps d'Horace, la morale prêchait encore la médiocrité; Sénèque prêche la misère“: nam Seneca numquam egestatem laudat, sed paupertatem, de qua explicat ep. 87, 40: „ego non video, quid aliud sit paupertas quam parvi possessio“, vel potius frugalitatem, ut ep. 5, 5; 87, 5; 101, 3; de trq. an. 1, 9; 9, 1: contra hoc ipsum Senecae proprium fuit, quod cognovit homines infirmiores esse nec satis aptos ad illa summa moralia praecepta apud Stoicos philosophos tradita bene sequenda; cf. E. Zeller III³ 1, p. 714.

Itaque cum Nisard partim, ut loco modo allato, potius Stoicorum locos communes quam propria Annaeana, partim res non satis aptas unde quid de auctoris ingenio concludas, partim adeo perversa contulerit, multas quaestiones omnino praeterierit, minimam denique partem graviorum argumentorum attulerit, huius quoque viri ut illorum operā effici negamus, ut de auctoris ingenio tragoediarumque naturā certius iudicetur. Quae res cum ita sint, nostrum erit aperire, quid de recta via, qua ad propositum finem optime pervenire nobis videamur, sentiamus. Nobis inprimis singulae sententiae tragoediis insertae, quae ad has quaestiones spectant, ad disciplinam ratione et distributione exstructam revocandae videntur. Neque tamen, si quidem non solum de similitudine singularum rationum ad philosophiam pertinentium utriusque auctoris, sed de huius ingenio disceptare in animo habemus, hanc dissertationem ita dispertiemus, ut simpliciter primum de dis, deinde de hominibus, tum de aliis rebus agatur, cum Seneca non alia causa permotus philosophiae indulserit, nisi ut perspiciat, quomodo homines beati fiant, ac si de dis vel quaecumque sunt quaestiones verba facit, nihil nisi humanarum rerum gratiā id fiat[1]): immo imago Annaeanae philosophiae ab uno, idque ab ipso hoc quem modo statuimus, Annaeano conspectu, adumbranda et consideranda

[1]) cf. W. Windelband, Geschichte der Philosophie, Tübing. u. Leipz. 1900², p. 172 infra.

est: qua ratione homines beati fieri possint. Ut autem in hac quaestione solvenda sciscitari, quomodo homines a malo ad bonum perveniant, Senecae plurimum interfuisse respiciamus, nunc prima dissertationis parte explicemus, quantum hominum improbitas abhorreat a dei maiestate, altera, quomodo crebris facultatibus casu fatoque oblatis boni viri ad dei vicinitatem accedant. Quod cum summum caput Annaeanae philosophiae sit, si idem in tragoediarum sive verbis sive rebus regnare demonstrabitur, Senecae philosophi ingenium revera in tragoediis inveniri et nobis et aliis persuadebimus.

I.

Ut statim in medias res perveniamus, nonne mirum videtur Stoicum philosophum, qui semper, ut opprimant affectūs homines admonet, tales fabulas composuisse furore et libidinibus repletas? Desinemus mirari cum illud quod monuimus nobiscum reputemus: praesertim cum contra hominum improbitatem quam maxime obniteretur, eum ante de libidinum natura et ratione diligentissime inquisivisse necesse erat. Audiamus, quid Seneca philosophus de hac quaestione dicat. De ira III, 5, 2—3: „Sed cum primum sit non irasci, secundum detinere . . ., dicam primum, quemadmodum in iram non incidamus, deinde, quaemadmodum nos ab illa liberemus; . . . Ne irascamur praestabimus, si omnia vitia irae nobis subinde proposuerimus et illam bene aestimaverimus. accusanda est apud nos, damnanda. perscrutanda eius mala et in medium protrahenda sunt. Ut qualis sit adpareat, conparanda cum pessimis est.“ Adde de ira II, 1, 1—2: „Primus liber, Novate, benigniorem habuit materiam. facilis enim in proclivia vitiorum decursus est. nunc ad exiliora veniendum est. quaerimus enim ira utrum iudicio an inpetu incipiat, id est utrum sua sponte moveatur an, quemadmodum pleraque, quae intra nos insciis nobis oriuntur. Debet autem in haec se demittere disputatio, ut ad illa quoque altiora possit exsurgere.“ Insuper autem hoc considerandum esse arbitramur, quod in tragoediis homines non, quemadmodum in consolationibus epistulisve moralibus, quales vult esse auctor, adumbrari solent, sed quales

poetae quidem sententia revera sint in mundo. Itaque ex ea ipsa re Senecae philosophi ingenium cognoscitur, quod tragoediarum personae, quas poeta improbas esse vult, Annaeanis libidinibus affectae sunt, ut boni viri Annaeanis praediti virtutibus.

Iam vero nec philosophus nec poeta, ut ad singula progrediamur, turbato sane vultu prodi hominem libidine captum neglexit (ep. 97, 13): „Ipsas nequitia tenebras timet. Eleganter igitur ab Epicuro dictum puto: potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest. aut si hoc modo melius hunc explicari posse iudicas sensum: ideo non prodest latere peccantibus, quia latendi etiamsi felicitatem habent, fiduciam non habent". Idem sensus aptissime ac, quo sincerius non potest, hoc poetae versu praebetur (Thy. 504): „Cum sperat ira sanguinem, nescit tegi; Tamen tegatur". Tegatur enim, quod (Med. 153) „ira quae tegitur nocet; Professa perdunt odia vindictae locum"; de moribus lib. 52: „Peiora sunt tecta odia quam aperta; itaque te minus loquax inimicus offendit quam tacitus". Thy. 330: „Multa sed trepidus solet Detegere vultus, magna volentem quoque Consilia produnt". Item ep. 79, 18: „Nihil simulatio proficit. paucis inponit leviter extrinsecus inducta facies: veritas in omnem sui partem eadem est. Quae decipiunt, nihil habent solidi. tenue est mendacium: perlucet, si diligenter inspexeris". Inde fallaci nutrici, quae haec simulat verba (Agam. 147): „Tuta est latetque culpa, si pateris, tua" suo iure respondetur hoc (Agam. 148): „Perlucet omne regiae vitium domus". Similiter Agam. 128: „Licet ipsa sileas, totus in vultu est dolor". Med. 446: „Totus in vultu est dolor".

Diligentius etiam Seneca visum furentium describit ipso initio librorum de ira scriptorum alibique saepius talem (de ira II, 35, 3): „Nihil tamen aeque profuerit quam primum intueri deformitatem rei, deinde periculum. Non est ullius affectus facies turbatior. pulcherrima ora foedavit, torvos vultus ex tranquillissimis reddit. linquit decor omnis iratos: et sive amictus illis conpositus est ad legem, trahent vestem omnemque curam sui effundent. sive capillorum natura vel arte iacentium non informis habitus, cum animo inhorrescunt. tumescunt venae. concutietur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla distendet. tum artus trepidi, inquietae manus, totius corporis fluctuatio. Qualem

intus putas esse animum, cuius extra imago tam foeda est? quanto illi intra pectus terribilior voltus est, acrior spiritus, intentior inpetus, rupturus se nisi eruperit"; de ira I, 1, 3—4: „nam ut furentium certa indicia sunt, audax et minax voltus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color versus, crebra et vehementius acta suspiria, ita irascentium eadem signa sunt: flagrant ac micant oculi, multus ore toto rubor exaestuante ab imis praecordiis sanguine. labra quatiuntur, dentes conprimuntur, ... spiritus coactus ac stridens, ... genitus mugitusque, ... totum concitum corpus magnasque irae minas agens, foeda visu et horrenda facies depravantium se atque intumescentium. nescias utrum magis detestabile vitium sit an deforme"; de ira III, 4, 1: „Nulli certe affectui peior est voltus, quem in prioribus libris descripsimus asperum et acrem et nunc subducto retrorsus fugatoque sanguine pallentem, nunc in os omni calore ac spiritu verso subrubicundum et similem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis et exsilientibus, nunc in uno obtutu defixis et haerentibus"; de ira II, 35, 5—6: „neque enim illi se tegere curae est, torvam cruentamque et cicatricosam et verberibus suis lividam, incessus vesani, obfusa multa caligine, incursitantem, vastantem; ... vel si videtur, sit qualis apud vates nostros est: Sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum aut scissa gaudens vadit Discordia palla, aut si qua magis dira facies excogitari diri adfectus potest". Quibus in rebus describendis ut iam philosophus omnem modum egreditur, ita poeta de hominum affectu excitatorum habitu simillima, ne eadem dicamus ratione, verba facit plurimis locis; afferantur hi tantummodo versus (Med. 380sq.): „Alumna, celerem quo rapis tectis pedem? Resiste et iras comprime ac retine gradum! Incerta qualis entheos gressus tulit, Cum iam recepto maenas insanit deo Pindi nivalis vertice aut Nysae iugis, Talis recursat huc et huc motu effero, Furoris ore signa lymphati gerens. Flammata facies spiritum ex alto citat, Proclamat, oculos uberi fletu rigat, Renidet: omnis specimen affectus capit. Quo pondus animi vergat, ubi ponat minas, Haeret: minatur aestuat

queritur gemit". Med. 392: „Ubi se iste fluctus frangat? exundat furor. ... Irae novimus veteris notas: Magnum aliquid instat, efferum immane impium: Vultum furoris cerno;" item Med. 849 sq.: „Quonam cruenta maenas Praeceps amore saevo Rapitur? quod impotenti Facinus parat furore? — Vultus citatus ira Riget et caput feroci Quatiens superba motu Regi minatur ultro. Quis credat exulem? Flagrant genae rubentes, Pallor fugat ruborem, Nullum vagante forma Servat diu colorem. Huc fert pedes et illuc, Ut tigris orba natis Cursu furente lustrat Gangeticum nemus. Frenare nescit iras Medea, non amores; Nunc ira amorque causam Iunxere: quid sequetur?" Neque ignorat philosophus „hunc adfectum maxime ex omnibus tetrum ac rabidum" usque ad hanc summam nocendi cupiditatem inflammari (de ira I, 1, 1): „hic totus concitatus et in impetu est doloris, armorum, sanguinis, suppliciorum minime humana fureus cupiditate, dum alteri noceat, si neglegens, in ipsa inruens tela et ultionis secum ultorem tracturae avidus". Quae ad prima verba praecipue conferendi sunt versus Med. 40/57: „Per viscera ipsa quaere supplicio viam Si vivis, anime, si quid antiqui tibi Remanet vigoris; pelle femineos metus Et inhospitalem Caucasum mente indue. ... vulnera et caedem et vagum Funus per artus — levia memoravi nimis: Haec virgo feci; gravior exurgat dolor: Maiora iam me scelera post partus decent. Accingere ira teque in exitium para Furore toto. ... Quae scelere parta est, scelere linquenda est domus"; item Med. 123/9: „Incerta vaecors mente vaesana feror Partes in omnes; unde me ulcisci queam? Utinam esset illi frater! est coniunx: in hanc Ferrum exigatur. hoc meis satis est malis? Si quod Pelasgae, si quod urbes barbarae Novere facinus quod tuae ignorent manus, Nunc est parandum"; plurimisque locis item. Ad illa extrema quae attulimus philosophi verba atque hunc locum (de ira II. 5, 2): „(sic.: ira vel feritas) non enim quia accepit iniuriam nocet, sed parata est, dum noceat, velle accipere. nec illi verbera lacerationesque in ultionem petuntur, sed in voluptatem. Quid ergo? origo huius mali ab ira est" hi versus comparandi sunt (Thy. 190/191): „Haec ipsa pollens incliti Pelopis domus Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat". Agam. 201/2:

„Misce cruorem, perde pereundo virum Mors misera non est commori cum quo velis". H. Oet. 350: „Felix iacet, quicumque quos odit, premit". Med. 427/8: „. . . Sola est quies, Mecum ruina cuncta si video obruta: Mecum omnia abeant. Trahere cum pereas libet". Quem ad proximum locum et, quos infra modo addemus, haec Senecae verba praecipue comparanda sunt de (ira III, 35, 5): „Talem nobis iram figuremus . . . vastantem fugantemque et omnium odio laborantem, sui maxime, si aliter nocere non possit, terras, maria, coelum ruere cupientem, infestam pariter invisamque"; item Med. 44/6: „Quodcumque vidit Pontus aut Phasis nefas, Videbit Isthmos. effera ignota horrida, Tremenda caelo pariter ac terris mala Mens intus agitat." Med. 410/14: „Non rabidus amnis, non procellosum mare Pontusve coro saevus aut vis ignium Adiuta flatu possit inhibere impetum Irasque nostras: sternam et evertam omnia". Huiusmodi verba ut „sternam et evertam omnia" in tragoediis sescenta inveniuntur.

Accuratius Seneca iram a ceteris affectibus discernit (de ira I, 1, 5, 7): „Cetera licet abscondere et in abdito alere; ira se profert et in faciem exit quantoque maior, hoc effervescit manifestius. . . . Nec ignoro ceteros quoque adfectus vix occultari, libidinem, metumque et audaciam dare sui signa et posse praenosci. neque enim ulla vehementior intra cogitatio [est], quae nihil moveat in vultu. quid ergo interest? quod alii adfectus adparent, hic eminet." Atque item ab illis summis irae flammis languidiorem libidinis habitum poeta egregie distinxit (Phaed. 360sq.): „Spes nulla tantum posse leniri malum, Finisque flammis nullus insanis erit. Torretur aestu tacito et inclusus quoque, Quamvis tegatur, proditur vultu furor; Erumpit oculis ignis et lassae genae Lucem recusant, nil idem dubiae placet Artusque varie iactat incertus dolor. Nunc ut soluto labitur moriens gradu Et vix labante instruet collo caput, Nunc se quieti reddit et, somni immemor, Noctem querelis ducit; attolli iubet Iterumque poni corpus et solvi comas Rursusque fingi: semper impatiens sui Mutatur habitus. . . . vadit incerto pede, Iam viribus defecta: non idem vigor, Non ora tinguens nitida purpureus rubor . . ."; Hippolytus ad Phaedram (ibid 591):

„Cur dulce munus redditae lucis fugis?“ et ipsa Phaedra lingua haesitante haec (ibid. 602/3): „Sed ora coeptis transitum verbis negant; Vis magna vocem mittit et maior tenet;“ Quamvis autem extraneam quietis speciem sibi sumat, intus in pectore summa furit libido (ibid. 640 sq.): „. . . Pectus insanum vapor Amorque torret intimis fervet ferus. [Penitus medullas atque per venas meat] Visceribus ignis mersus et venas latens Ut agilis altas flamma percurrit trabes.“

Exemplis, quae modo citavimus, simul aliud vitiorum animi signum cognoscitur: haesitatio et animus in incerto suspendens; id quoque Seneca philosophus pronuntiat (de vitae brev. 8, 6): „Quare audaciter licet profitearis summum bonum esse animi concordiam. virtutes enim ibi esse debebunt, ubi consensus atque unitas erit: dissident vitia“. Phaed. 602/7: „Sed ora coeptis transitum verbis negant; Vis magna vocem mittit et maior tenet. Vos testor omnis, caelites, hoc quod volo [me nolle]“. Hipp: „Animusne cupiens aliquid effari nequit?“ Phaed.: „Curae leves loquuntur, ingentes stupent“. item Agam. 131/40: Clyt: „Maiora cruciant quam ut moras possim pati; Flammae medullas et cor exurunt meum, Mixtus dolori subdidit stimulos timor, Invidia pulsat pectus; hinc animum iugo Premit cupido turpis et vinci vetat: Et inter istas mentis obsessae faces Fessus quidem et devinctus et pessumdatus, Pudor rebellat. fluctibus variis agor, Ut cum hinc profundum ventus, hinc aestus rapit, Incerta dubitat unda, cui cedat malo“; itemque aliis locis, de quibus infra verba faciemus.

Nonne tamen confitendum tibi videtur Medeam tam magnifice et fortiter se gerere, ut certe quidem magno animo praeditam eam esse dicas? Neque ignorasse poetam irae impetus ad magnanimitatis similitudinem accedere apparet, simul tamen eum haud dubitasse, quin videatur tantummodo magnanimitas esse ira, non sit; neque enim dubium est quin maleficam in scaena fingere Medeam poeta voluerit. Ac profecto quidem res ita se habere Seneca philosophus item sibi persuasit (de clem. I, 15, 7): „scelus, in quo se quod proximum erat ab innocentia, timide gessisset“. Timida vero ac quasi ad innocentiam appropinquans Medea minime in scaenam prodire potuit. Quod ut clarius appareat, insuper hoc addamus: Sene-

cam philosophum feminarum naturam moresque tam parvi aestimavisse notum est, ut earum imbecillitatem longe ab animi magnitudine abesse putaret (ad Marc. 7, 3): „Ut scias autem non esse hoc naturale: luctibus frangi, primum magis feminas quam viros . . . eadem orbitas voluerat“. ad Helv. 16, 1: „Non est, quod utaris excusatione muliebris nominis, cui paene concessum est inmoderatum in lacrimas ius, non inmensum tamen“. Ibid. § 5: Non potes itaque ad obtinendum dolorem muliebre nomen praetendere, ex quo te virtutes tuae seduxerunt tantum debes a feminarum lacrimis abesse, quantum a vitiis. Ne feminae quidem te sinent intabescere volucri tuo“; de ira I, 12, 1: „vir bonus non flebit nec linquetur animo quae accidere feminis videmus, quotiens illas levis periculi suspicio perculit“. Etiam hoc (de ira II, 19, 4): Itaque puerorum feminarumque irae acres magis quam graves sunt levioresque dum incipiunt“. Si haec respexerimus, mira atque inaudita videtur illa terribilis Medea Annaeana, praesertim cum Euripideae vere muliebri comparata; atque etiam maxime premitur Medeae audacia et feritas ea re, quod miserebit te Iasonis timidissimi, qui longe ab illo, quem Euripides finxit, viro ambitioso, superbo, suoque commodo serviente abest. Inde potius homo audacissimus aliquis quam femina, qualem flere et destitui animo, „si levis periculi suspicio perculerit,“ Seneca arbitratur, verba huiusmodi facere videtur, qualia pronuntiat Medea (Med. 292): „nullum ad nocendum tempus angustum est malis“, et qualia dicit Clytemestra: (Ag. 154): „rapienda rebus in malis praeceps via est“. Sed quid? Videlicet ad eandem sententiam, quam poeta his locis, quos citavimus, probavit, Seneca philosophus pervenit (de brev. v. 7, 1): „Licet iracundos enumeres vel odia exercentes iniusta vel bella: omnes isti virilius peccant“; de ira I, 7, 1: „Ira . . . extollit animos et incitat. nec quicquam sine illa magnificum in bello fortitudo gerit, nisi hinc flamma subdita est et hic stimulus peragitavit misitque in pericula audaces“. Neque enim iracundissimam et audacissimam maleficam in scaenam progredi Medeam poetam voluisse nescis.

Ira autem, ut philosophus porro iudicat, quamvis cum magnitudine animi comparari posse videatur, tamen (de ira I, 20, 1): „non est enim illa magnitudo, tumor est“; et de ira

I, 20, 4: „quid ergo? non aliquae voces ab iratis emittuntur, quae magno emissae videantur animo veram ignorantibus magnitudinem“; de ira I, 20, 7: „terribilia enim esse et tumultuosa et exitiosa possunt: magnitudinem quidem, cuius firmamentum roburque bonitas est, non habebunt. ceterum sermone, conatu et omni extra paratu facient magnitudinis fidem“. Hanc ergo, ne „veram ignorantibus magnitudinem“ ad bonitatis et magnitudinis speciem appropinquare malefica videatur, invenimus causam, cur poeta, ut magno cum ambitu verborum pernumeret, quot venena quantaque artium magicarum copia subsint Medeae, ipsamque arcanas res ac detestabiles carminibus efficientem in scaenam producat mulierem, coactus sit (Med. 670/842): „... Namque ut attonito gradu Evasit et penetrale funestum attigit, Totas opes effundit et quicquid diu Etiam ipsa timuit promit atque omnem explicat Turbam malorum, arcana secreta abdita, Et triste laeva congregans sacrum manu Pestes vocat quascumque ferventis creat Harena Libyae quasque perpetua nive Taurus cohercet frigore Arctoo rigens, Et omne monstrum . . . (705) Postquam evocavit omne serpentum genus, Congerit in unum frugis infaustae mala: ... (731) Mortifera carpit gramina ac serpentium Saniem exprimit miscetque et raucae strigis Exsecta vivae viscera. haec scelerum artifex Discreta ponit; his rapax vis ignium, His gelida pigri frigoris glacies inest. Addit venenis verba non illis minus Metuenda. sonuit ecce vaesano gradu Canitque mundus vocibus primis tremit“. Revera autem Senecam philosophum has res non solum novisse, sed etiam usum talis superstitionis Romae illo tempore nimis vigentem diligentissime observasse inprimis ex hac re intellegas, quod peculiarem de superstitione dialogum, quem iam non exstare valde dolemus, scripsit. Qua de re Tertullianus haec verba fecit (Apolog. c. 12, p. 49 ed Haverc.): „O impiae voces! o sacrilega convicia! infrendite, inspumate: eidem estis, qui Senecam aliquem pluribus et amarioribus de vestra superstitione perorantem probatis“. Adde Augustin. de civ. dei VI, c. 10: „Annaeus Seneca ... in eo libro, quem contra superstitiones condidit, multo copiosius ac vehementius reprehendit ipse civilem istam et urbanam theologiam, quam Varro theatricam atque fabulosam. ... de ipsis vero ritibus crudeliter turpibus quam libere scripsit“.

Sed progrediamur! Huiusmodi ut vitium ad virtutis speciem accedere posse intelleximus, ita haud scio an vitium esse existimes, quod longe a vitio abesse constat: Herculis furentis enim, de quo tragoediam composuit poeta, reminiscor. Sententiam inter viros Stoicos usitatam secutus Seneca philosophus dicit (de prov. 2, 1 aliisque locis): „Catonem . . . Herculem . . . hos enim Stoici nostri sapientes pronuntiaverunt“. Seneca igitur quomodo Herculis furentis fabulam componere potuit, cum furorem summum credat vitium? Primum concedes Senecam probasse Herculem inauditum Lyci facinus ulciscentem, cum iustam ultionem ab ira diligenter discreverit (de ira I, 12, 1—2): „quid ergo? vir bonus non irascitur, si caedi patrem suum viderit, si rapi matrem? non irascetur, sed vindicabit, sed tuebitur“. Itaque ut hac de causa — liceat hoc inserere h. l. — Atreus qui ut crudelitatem excusare sibi videatur, haec turpissima verba facit, tamquam perditus describitur his: „Sceleri modus debetur, ubi facias scelus, Non ubi reponas“, ita tamquam bonus vir Hercules hoc philosophi praeceptum secutus (ibid. § 2): „pater caedetur: defendam; caesus est: exsequar, quia oportet, non quia dolet“.

Alia autem res est de uxore caesa liberisque interfectis: hoc quod Hercules furore impulsus fecit, sine dubio crimini ei daretur, nisi prima sceleris condicione, quae secundum Annaeanam sententiam reposcitur: mala voluntate vel arbitrio quidem sui libero careret, cum Iuno infesta invitum furore affecisset. Suo iure ergo Amphitruo haec (H. f. 1237): „Quis nomen usquam sceleris errori addidit?“; ibid. 1297: „Hoc Iuno telum manibus immisit tuis“. Neque enim aliter Seneca sentit (de ira II, 2, 1): „Ira nam si invitis nobis nascitur, numquam rationi succumbet; omnes enim motus, qui non voluntate nostra fiunt, invicti et inevitabiles sunt“; de ira II, 3, 1: „nihil enim ex his quae animum fortuito impellunt, affectus vocari debet: ista, ut ita dicam, patitur magis animus quam facit. ergo adfectus est non ad oblatas rerum species moveri, sed permittere se illis et hunc fortuitum motum prosequi“. Neque vero ab ipsa rerum gestione, sed a voluntate hominum pendere, quid sit iudicandum de sceleribus cognoscitur ex hoc loco (de vita b. 26, 5): „nullam mihi iniuriam facitis; sed ne dis quidem hi qui aras evertunt.

sed malum propositum adparet malumque consilium etiam ibi, ubi nocere non potuit". Ex eadem sententia Iocaste fratres ad bellum paratos a discordia ita suo iure retinet (Phoen. 451/8): „. . . error invitos adhuc Fecit nocentes, omne Fortunae fuit Peccantis in nos crimen: hoc primum nefas Inter scientes geritur. in vestra manu est Utrum velitis: sancta si Pietas placet Donate matri pacem, si placuit scelus Maius paratum est"; item H. Oet. 886: Haud est nocens, quicumque non sponte est nocens"; item Phaed. 735: mens inpudicam facere, non casus solet".

Neque vero tales sententiae, quales modo attulimus ex ore personarum solum pronuntiantur, sed in ipsis rebus fabularum a poeta hunc in modum compositis inveniuntur. Semper poeta id agit, ut scelera hominibus non fato addicantur, id quod res fabularum leviter tantummodo perstringentibus facile videtur, sed ex eorum arbitrio exoriantur. Quod priusquam tractabimus, antea huc id addamus: hi scelerati homines simul alio vitio inquinati in scaenam producuntur, quod Seneca ita describit (de benef. VII, 28, 3): „fortasse vitium de quo quereris, si te diligenter excusseris, in sinu invenies. inique publico crimini irasceris, stulte tuo"; et ep. 93, 1: „multos inveni aequos adversus homines, adversus deos neminem. obiurgamus cotidie fatum". Item Oed. 630: „. . . patria, non ira deum Sed scelere raperis." Porro poetam eidem sententiae favere elucet ex his versibus (Phaed. 195 sq.): „Deum esse amorem turpis et vitio favens Finxit libido, quoque liberior foret Titulum furori numinis falsi addidit. Natum per omnis scilicet terras vagum Erycina mittit, ille per caelum volans Proterva tenera tela molitur manu Regnumque tantum minimus e superis habet: Vana ista demens animus ascivit sibi Venerisque numen finxit atque arcus dei." Simillime Seneca de brev. v. 16, 5: „quid aliud vitia nostra incendere quam auctores illis inscribere deos et dare morbo exemplo divinitatis excusatam licentiam?" Inde Ulixi Andromache haec (Troad. 750/4): „O machinator fraudis et scelerum artifex Virtute cuius bellica nemo occidit, Dolis et astu maleficae mentis iacent Etiam Pelasgi, vatem et insontes deos Praetendis? hoc est pectoris facinus tui." Eodem modo Phaedra improba libidinis culpam a se in fatum transfert Phaed. 113/4: „Fatale

miserae matris agnosco malum Peccare noster novit in silvis amor," quamvis marito v. 85/99 turpiter contumeliis affecto (Phaed. 91 sq.): „. . . profugus en coniunx abest Praestatque nuptae quam solet Theseus fidem. Fortis per altas invii retro lacus Vadit tenebras miles audacis proci, Solio ut revulsam regis inferni abstrahat; Pergit furoris socius, haud illum timor Pudorque tenuit — stupra et illicitos toros Acheronte in imo quaerit Hippolyti pater" ac libidine nefaria haudquaquam coercita invita furorem satis patefecerit. Suo igitur iure nutrix admonet talibus verbis (Phaedr. 130 sq.): „Thesea coniunx, clara progenies Iovis, Nefanda casto pectore exturba ocius, Exstingue flammas neve te dirae spei Praebe obsequentem: quisquis in primo obstitit Pepulitque amorem, tutus ac victor fuit; Qui blandiendo dulce nutrivit malum, Sero recusat ferre quod subiit iugum." Ibid 140: „Honesta primum est velle nec labi via Pudor est secundus nosse peccandi modum. Quo, misera, pergis? quid domum infamem aggravas Superasque matrem? maius est monstro nefas: Nam monstra fato, moribus scelera imputes;" quae nutricis verba esse vera cum ipsa intellexerit, nefariam vere Annaeanam se praebet (Phaedra 177 sq.): „. . . quae memoras scio Vera esse, nutrix; sed furor cogit sequi Peiora. vadit animus in praeceps sciens." Ad versum quem modo citavimus (Phaed. 140): „Honesta primum est velle nec labi via Pudor est secundus nosse peccandi modum," et ibid. 249: „Pars sanitatis velle sanari fuit," conferas illud Senecae (de benef. V, 25, 4): „moneri velle ac posse secunda virtus est". Nec inprimis neglegamus hoc (de benef. V, 25, 4): „moneri . . . posse secunda virtus est," si Phaedram, quibus verbis pergentem poeta finxerit, respicimus (Phaed. 179/80): „. . . Vadit animus in praeceps sciens Remeatque frustra sana consilia appetens."

Simillimam iterum ac Phaedram invenimus in Agamemnonis fabula Clytemestram, quam sceleratam finxit poeta his artificiis usus (Agam. 108 sq.): „Quid, segnis anime, tuta consilia expetis? Quid fluctuaris? clausa iam melior via est: Licuit pudicos coniugis quondam toros Et sceptra casta vidua tutari fide — Periere mores ius decus pietas fides Et qui redire cum perit nescit pudor; Da frena et omnem prona nequitiam incita: Per scelera semper sceleribus tutum est iter." Quibus verbis

primum excusatione ex ipsis sceleribus et quasi „publico malo“, quoniam bona consilia non iam tuta, sed sola tuta esse scelera per scelera simulet, petita ac parata pudorem ipsa exstinguit. Finxisse vero haec omnia eam mala voluntate, ut commodius denuo ruat in scelera ex versibus qui sequuntur plane elucet; inprimis ex his Clytemestrae verbis (Ag. 123/4): „Quid timida loqueris furta et exilium et fugas? Soror ista fecit; te decet maius nefas.“ Ac quamvis nutrix retineat (Ag. 129/30): „. . . da tempus ac spatium tibi: Quod ratio non quit saepe sanavit mora“ et pudor admoneat (ibid. 138): „Et inter istas mentis obsessae faces, Fessus quidem et devinctus et pessumdatus, Pudor rebellat“ haec omnia malo consilio neglegit culpaeque consciam facinora nefaria se rapi iubet (Ag. 131 sq.): „Maiora cruciant quam ut moras possim pati; Flammae medullas et cor exurunt meum, Mixtus dolori subdidit stimulos timor, Invidia pulsat pectus; . . . Quocumque me ira, quo dolor, quo spes feret, Hoc ire pergam: fluctibus dedimus ratem: Ubi animus errat, optimum est casum sequi.“ Videlicet autem, ut per sequentes scaenas quibus cum Aegistho progreditur Clytemestra eadem denuo artificia Annaeanae sententiae consentanea poetae subsint, tunc quidem Clytemestrae animus sedari videtur (Agam. 239/43): „Amor iugalis vincit ac flectit retro: Referamur illuc, unde non decuit prius Abire; sed nunc casta repetatur fides, Nam sera numquam est ad bonos mores via: Quam paenitet peccasse paene est innocens.“ Simul his verbis semper licitum esse ad melius iter se haud ignorasse concedit; atque iterum turpissimum facinus se inire sentit incitata ab Aegistho, quem sceleratissimum esse (cf. v. 244 sq.) cuique apparet (Agam. 260 sq.): „Aegisthe, quid me rursus in praeceps agis Iramque flammis iam residentem incitas?“; iterum pudoris vocem spernit (Ag. 288/90): „Surgit residuus pristinae mentis pudor — Quid obstrepis? quid voce blandiloqua mala Consilia dictas?“ Ac quamvis nequitiae esse culpam a se in deos auctoresque stirpis amovere ipsa concesserit his modo verbis (Ag. 295 sq.): „Phoebum nefandae stirpis auctorem vocas Quem nocte subdita frena revocantem sua Caelo expulistis? quid deos probro addimus?“, eadem tamen, cum revera non ad culpae poenam fideliter cum socio, ut simulat, suscipiendam, sed ad novum scelus patrandum

eam contendere sine ullo dubio cuique apertum sit, honesta specie callidissime ficta huiusmodi (Ag. 307): „Quae iuncta peccat debet et culpae fidem“ profligatam ac perditissimam se praebet.

Eodem autem modo in Thyestis tragoedia res se habet: Quamquam fato quidem scelera Tantali genti ita esse irrogata, ut cogatur sive prona sive invita progenies ad scelera perficienda, fabulam legenti facile videntur, revera poeta nil nisi id inprimis egit, ut ipsam progeniem, quam in scaena quasi ante oculos videmus, sceleratam se consiliaque sua mala sponte patefacientem fingat. Atreus, postquam conscientiam intus tanto facinore abhorrentem repressit his versutis verbis (Thy. 283 sq.): „. . . anime, quid rursus times, Et ante rem subsidis? audendum est, age: Quod est in isto scelere praecipuum nefas, Hoc ipse faciet,“ itemque satelliti, qui ut leniter morte multet, frustra praemonet, hac Annaeana sententia sibi sumpta (ep. 24 n.): „mihi crede, Lucili, adeo mors timenda non est, ut beneficio eius nihil timendum sit. Securus itaque inimici minas audi!“ et ep. 91, 21: „ne morti quidem hoc apud nos noceat: et haec malam opinionem habet. . . . illud scis, quam multis utilis sit, quam multos liberet tormentis, egestate, querelis, suppliciis, taedio. Non sumus in ullius potestate, cum mors in nostra potestate sit“ his verbis abnuit (Thy. 245/54) „Sat.: Ferro peremptus spiritum inimicum expuat. Atr.: De fine poenae loqueris; ego poenam volo. Perimat tyrannus lenis: in regno meo Mors impetratur. Sat.: Nulla te pietas movet? Atr.: Excede, Pietas, si modo in nostra domo Umquam fuisti. Dira Furiarum cohors Discorsque Erinys veniat et geminas faces Megaera quatiens: non satis magno meum Ardet furore pectus, impleri iuvat Maiore monstro,“ scientem furore se rapi patitur, ut sane sit moribus malificus vere Annaeanus (Thy. 260/5): „. . . tumultus pectora attonitus quatit Penitusque voloit; rapior et quo nescio, Sed rapior imo mugit e fundo solum, Tonat dies serenus ac totis domus Ut fracta tectis crepuit et moti lares Vertere vultum: fiat hoc, fiat nefas Quod, di, timetis.“

Vidimus igitur summum nefariorum esse vitium hoc, quod pudorem a vitiis retinentem et conscientiam, sive ex ipsorum sive e nutricis vel satellitis ore alloquitur et tamquam divina

vox ad meliorem viam revocat, sua sponte neglegunt; alterum vero, quod malos mores consuetudinemque scelerum suam (praecipue cf. Clytem. in Ag. 108sq.) et mala proavorum exempla, quae utraque vitare ut eos decebat ita licebat iis, non solum sequuntur, sed etiam ex iis excusationes parant. Tamen his illisque rebus magnam inesse vim, qua homines corrumpantur, et auctor tragoediarum et Seneca philosophus ingenue profitentur (ep. 123, 6): „inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla nec ratione componimus, sed consuetudine abducimur"; de ira II. 20, 2: plurimum potest consuetudo, quae si gravis est, alit vitium."

Illustrissimum fabularum exemplum praebet Clytemestra Ag. 108sq., quem locum supra iam commemoravimus; neque tamen secus Medea, cuius ex fabula hi tantummodo versus afferantur (Med. 129sq.): „. . . scelera te hortentur tua Et cuncta redeant: inclitum regni decus Raptum et nefandae . . .", item Troad. 427: „Exoritur aliquod maius ex magno malum." Porro ad ep. 98, 3: „Malus omnia in malum vertit, etiam quae cum specie optimi venerant" hanc similem poetae sententiam comparaveris (Med. 563): „. . . fructus est scelerum tibi Nullum scelus putare". Cui sententiae favetur, cum optimam quamque viam qua tutus sit nefarius sibi sumat, his verbis (Phaedr. 721): „Scelere velandum est scelus"; Ag. 115: „Per scelera semper sceleribus tutum est iter"; Phoen. 269: „Sceleris pretium maius accepi scelus". De malis exemplis autem Senecam audiamus (de ira II. 10, 3): „hâc conditione nati sumus, animalia obnoxia non paucioribus animi quam corporis morbis, non quidem obtusa nec tarda, sed acumine nostro male utentia, altera alteris vitiorum exempla. quisquis sequitur priores male iter ingressos, quidni habeat excusationem, cum publica via erraverit?" de vita b. 1, 3: „nihil ergo magis praestandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem pergentes non quo eundum est, sed quo itur. atqui nulla res nos maioribus malis implicat quam quod ad rumorem componimur, . . . nec ad rationem, sed similitudinem vivimus. inde ista tanta coacervatio aliorum super alios ruentium."

Nonne primo iam obtutu hanc quoque Senecae sententiam in fabularum sceleribus invenis, quae a patribus et fato, ut scelerati quidem fingunt, revera potius ipsorum malis moribus tradita

esse apparet? Inde Phaed. 193: „Peccare noster novit in silvis amor“; eadem porro causa permotus Oedipus hunc in modum dubitat (Phoen. 82 sq.): „Fortuna credis? aliquis est ex me pius? Non esset numquam, fata bene novi mea, Nisi ut noceret“; adeo igitur haudquaquam credere potest, ut nil nisi insidias paravisse fatum sibi videatur, cum nefariorum patrum, qualem se ipsum putat, exemplis liberos facile adduci non ignoret; idem ergo talia (Phoen. 328): „Ego ille sum, qui scelera committi vetem Et abstineri sanguine e caro manus Doceam? magister iuris et amoris pii Ego sum? meorum facinorum exempla appetunt, Me nunc secuntur. laudo et agnosco libens, Exhortor aliquid ut patre hoc dignum gerant“. Itaque Thyestis umbra Aegisthum ad nefaria patranda impellit his verbis usa (Ag. 50/2): „Quid dextra dubio trepida consilio labat? Quid ipse temet consulis torques rogas, An deceat hoc te? respice ad matrem: decet“; et Atreus maleficus ita se ipse inflammat (Thy. 241/3): „. . . quid stupes? tandem incipe Animosque sume: Tantalum et Pelopem aspice; Ad haec manus exempla poscuntur meae“. Ibid. 309: „Peiora iuvenes facile praecepta audiunt“. Inde poeta hoc artificio usus Atrei culpam tali modo auget (Thy. 320 sq.): „Sat: Ipsosque per quos fallere alium cogitas Falles? Atr.: Ut ipsi crimine et culpa vacent Quid enim necesse est liberos sceleri meos Inserere? per nos odia se nostra explicent. — Male agis, recedis, anime: si parcis tuis, Parces et illis. consili Agamemnon mei Sciens minister fiat et fratri sciens Menelaus adsit. prolis incertae fides Ex hoc petatur scelere“. Poetam hanc quem tractamus sententiam non mutuatum esse a philosopho, sed ipsum e suo animo dixisse aptissime hac re demonstratur, quod non sententia solum, sed etiam id, quod consentaneum sequitur ex ea, apud poetam invenitur (Thy. 310 sq.): „In patre facient quicquid in patruo doces: Saepe in magistrum scelera redierunt sua“. et H. f. 735: „. . . auctorem scelus Repetit suoque premitur exemplo nocens“. Idem etiam fabulae rebus intextum illi philosophi sententiae, quam de „ista ignobili deorum turba“ habet, egregie favet (H. f. 960 sq.): „. . . non capit terra Herculem Tandemque superis reddit. en ultro vocat Omnis deorum coetus et laxat fores, Una vetante. recipis et reseras polum? An contumacis ianuam mundi traho? Dubitatur etiam? vincla Saturno exuam Contraque patris impii regnum

impotens Avum resolvam; bella Titanes parent, Me duce furentes". Herculem igitur insania inflammatum poeta haec pronuntiantem finxit: si suis viribus nixus superis caelum rapturus esset, nil nisi idem, quod Iuppiter Saturno patri fecisset qualemque hic Titanibus sese praebuisset, se acturum esse. Idem denique his exemplis de sceleribus dixit poeta, quod cum poeta, tum philosophus de metu (Oed. 705/6): „qui sceptra dura saevus imperio regit Timet timentes: metus in auctorem redit"; ep. 105, 4: „qui timetur, timet"; de ira II, 11, 3: „semper in auctores redundat timor nec quisquam metuitur ipse securus? occurrat hoc loco tibi Laberianus ille versus, qui medio civili bello in theatro dictus totum in se populum non aliter convertit, quam si missa esset vox publici adfectus: ‚necesse est multos timeat quem multi timent'. Ita natura constituit, ut quicquid alieno meta magnum est, a suo non vacet"; de moribus libr. § 61: „Qui a multis timetur, multos timet"; de clem. I, 19, 5: „tantum enim necesse est timeat, quantum timeri voluit, et manus omnium observet et eo quoque tempore, quo non captatur, peti se iudicet nullumque momentum inmune a metu habeat: hanc aliquis agere vitam sustinet, cum liceat innoxium aliis, ob hoc securum salutare potentiae ius laetis omnibus tractare? errat enim, si quis existimat tutum esse ibi regem, ubi nihil a rege tutum sed securitas securitate mutua paciscenda est". Quibus ex causis per se intellegitur haec quae poeta explicat sequi (Oed. 243/3): „Regi tuenda maxime regum est salus: Curat peremptum nemo quem incolumem timet". Phoen. 610: „Invisa numquam imperia retinentur diu". Troad. 258: „Violenta nemo imperia continuit diu, Moderata durant". Med. 196: „Iniqua numquam regna perpetuo manent." Thy. 215 sq.: „. . . ubi non est pudor Nec cura iuris sanctitas pietas fides Instabile regnum est".

Respicienda enim sunt haec (Thy. 207): „. . . Quos cogit metus Laudare, eosdem reddit inimicos metus"; et de benef. VI, 30, 4/5: „non vides, quemadmodum illos in praeceps agat exstincta libertas et fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque, sed adulandi certamen est et unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandissime fallat? Ignoravere vires suas et, dum se tam magnos quam audiunt credunt, adtraxere supervacua et in discrimen rerum omnium perventura bella. utilem te necessariam

rupere concordiam. secuti iram, quam nemo revocavit, multorum sanguinem hauserunt fusuri novissime suum, dum vindicant inexplorata pro certis flectique non minus existimant turpe quam vinci et perpetua credunt, quae in summum perducta maxime nutant. Ingentia super se ac suos regna fregerunt nec intellexerunt in illa scena vanis et cito diffluentibus bonis refulgente ex eo tempore ipsos nihil non adversi exspectare debuisse, ex quo nihil veri audire potuerunt". Nam Phaed. 136/7: „Nec me fugit, quam durus et veri insolens Ad recta flecti regius nolit tumor"; Med. 203 sq.: „Difficile quam sit animam ab ira flectere iam concitatum quamque regale hoc putet Sceptris superbas quisquis admovit manus Qua coepit ire, regia didici mea"; Med. 178: „Ipse est Pelasgo tumidus imperio Creo". Accuratissime reges et tyranni distinguntur (de clem. I, 11, 4): „Clementia ergo non tantum honestiores, sed tutiores praestat, ornamentumque imperiorum est simul et certissima salus. Quid enim est, [quod,] cum reges consenuerint liberisque ac nepotibus tradiderint regna, tyrannorum exsecrabilis ac brevis potestas est? Quid interest inter tyrannum et regem? species enim ipsa fortunae ac licentia par est, nisi quod tyranni in voluptatem saeviunt, reges non nisi ex causa ac necessitate". Simillime apud poetam regibus secundum Stoicorum sententiam veris, de quibus infra, ubi fragilitatem tractabimus fortunae potentiaeque, disseremus, ii opponuntur, quos sceleratos tyrannos ac crudeles voluit poeta, huiusmodi verba facientes: Creo (Med. 183): „Abolere propere pessimam ferro luem Equidem parabam. . . . regium imperium pati Monstrumque salvum horribile iamdudum avehe. Med: Quod crimen aut quae culpa multatur fuga? Creo: Quae causa pellat, innocens mulier rogat. Med: Si iudicas, cognosce, si regnas, iube. Creo: Aequum atque iniquum regis imperium feras. . . . Vox constituto sera decreto venit. Med: Qui statuit aliquid parte inaudita altera,[1]) Aequum licet statuerit, haud aequus fuit"; profecto contra Creonem nefarium tyrannum his versibus ipsa Medea iure suo se defendit; neque aliter Clytemestram sceleratam illam etiam bonam videri cognosces, si Aegistho tyranno comparaveris:

[1]) cf. lud. de morte Claudii 10, 4: „. . . et dic mihi, dive Claudi, quare quemquam ex his, quos quasque occidisti, antequam de causa cognosceres, antequam andires, damnasti? hoc ubi fieri solet?"

non nisi ut sese tueatur his verbis Clytemestram pellicit Aegisthus (Ag. 244 sq.): „Quo raperis amens? credis aut speras tibi Agamemnonis fidele coniugium? ut nihil Subesset animo quod graves faceret metus: Tamen superba et impotens flatu nimis Fortuna magno spiritus tumidos daret. . . . Rex Mycenarum fuit, Veniet tyrannus: prospera animos efferant. . . . Pacisci mutuam veniam licet? Ignota tibi sunt iura regnorum aut nova? Nobis maligni iudices, aequi sibi Id esse regni maximum pignus putant, Si quicquid aliis non licet solis licet. . . . Iam crimen ille quaerit et causas parat. Nil esse crede turpe commissum tibi: Quid honesta prodest vita, flagitio vacans? Ubi dominus odit fit nocens, non quaeritur. Spartamne repetes spreta et Eurotan tuum Patriasque sedes profuga? non dant exitum Repudia regum. spe metus falsa levas. Clyt: Delicta novit nemo nisi fidus mea. Aeg.: Non intrat umquam regium limen fides. Et cur Atrida videor inferior tibi, Gnatus Thyestae? Clyt: Si parum est, adde et nepos. Aeg.: Auctore Phoebo gignor: haud generis pudet". Quibus proximis praecipue verbis haec compares: (H. f. 340): „. . . Qui genus iactat suum, Aliena laudat"; et ep. 44, 5, 6: „Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. nemo in nostram gloriam vixit nec quod ante nos fuit, nostrum est: animus facit nobilem, cui ex quacumque condicione supra fortunam licet surgere. Puta itaque te non esse equitem Romanum, sed libertinum: potes hoc consequi, ut solus sis liber inter ingenuos. . . . Intuendum est non unde veniant, sed quo eant". Herculi virtutibus illustrissimo tyrannus atrox in Herc. fur. fabula opponitur Lycus. (H. f. 329): „Sed ecce saevus ac minas vultu gerens Et qualis animo est, talis incessu venit Aliena dextra sceptra concutiens Lycus: Non vetera patriae iura possideo domus Ignavus heres. rapta sed trepida manu Sceptra obtinentur; omnis in ferro est salus: Quod civibus tenere te invitis scias, Strictus tuetur ensis. alieno in loco Haud stabile regnum est; una sed nostras potest Fundare vires iuncta regali face Thalamisque Megara: ducet e genere inclito Novitas colorem nostra. non equidem reor Fore ut recuset ac meos spernat toros; Quod si impotenti pertinax animo abnuet, Stat tollere omnem penitus Herculeam domum. Invidia factum ac sermo popularis premet? Ars prima

regni est posse * invidiam pati . . .“; ita quibuscumque potest artibus nequissimis atque in suam utilitatem conversis id unum agit Lycus, ut Megara proba ut fidem frangat coniugalem adducta regna infesta sibi pariat, quod „imperia pretio quolibet constant bene“. Item describitur a poeta Eteocles (Phoen. 646): „Regnabit. est haec poena. si dubitas avo Patrique crede: Cadmus hoc dicet tibi Cadmique proles. sceptra Thebano fuit Impune nulli gerere, nec quisquam fide Rupta tenebit illa: iam numeres licet Fratrem inter illos: Et.: Numeret, est tanti mihi Cum regibus iacere. te turbae exulum Ascribo. Pol.: Regna, dummodo invisus tuis. Et.: Regnare non vult, esse qui invisus timet: Simul ista mundi conditor posuit deus, Odium atque regnum: regis hoc magni reor, Odia ipsa premere. multa dominantem vetat Amor suorum: plus in iratos licet. Qui vult amari, languida regnat manu. . . . Pro regno velim — Ioc.: Patriam penates coniugem flammis dare? Et.: Imperia pretio quolibet constant bene“. Talem porro se praebet tyrannum in Thyestis tragoedia Atreus (Thy. 176): „Ignave, iners, enervis et (quod maximum Probrum tyranno rebus in summis reor): Inulte, post tot scelera, post fratris dolos Fasque omne ruptum questibus vanis agis Iratus Atreus? fremere iam totus tuis Debebat armis orbis et geminum mare Utrimque classes agere, iam flammis agros Lucere et urbes decuit ac strictum undique Micare ferrum. . . . Relictis bellicum totus canat Populus Mycenis, quisquis invisum caput Tegit ac tuetur, clade funesta occidat. Haec ipsa pollens incliti Pelopis domus Ruat vel in me dummodo in fratrem ruat. Age, anime fac quod nulla posteritas probet, Sed nulla taceat. aliquod audendum est nefas Atrox, cruentum . . . maximum hoc regni bonum est, Quod facta domini cogitur populus sui Tam ferre quam laudare . . . Laus vera et humili saepe contingit viro, Non nisi potenti falsa: quod nolunt, velint . . .“ Talibus tyrannorum moribus secundum sententiam sane Annaeanam depictis a poeta hoc denique addunt nefaria Phaedra (Phaed. 430): „Malus est minister regii imperii pudor“ ac proba Iocaste (Phoen. 624): „. . . Regna cum scelere omnibus Sunt exilis graviora“.

Quod primum esse vitii supra commemoravimus, ex eo simul nocenti summa poena exoritur: tumultus, qui intus

dilacerat pectus (ep. 97, 16): „Multos fortuna liberat poena, metu neminem. quare, nisi quia infixa nobis eius rei aversatio est, quam natura damnavit? ideo numquam fides latendi fit etiam latentibus, quia coarcuit illos conscientia et ipsos sibi ostendit. proprium autem est nocentium trepidare.“ H. Oet. 706 sq.: „Vagus per artus errat excussos tremor, Erectus horret crinis, impulsis adhuc Stat terror animis et cor attonitum salit Pavidumque trepidis palpitat venis iecur. Ut fractus austro pontus etiamnum tumet, Quamvis quiescat languidis ventis dies, Ita mens adhuc vexatur excusso metu. . . . Ut missa palla est tabe Nessea inlita Thalamisque maerens intuli gressum meis, Nescio quid animus timuit. . . . Vix ora solvi patitur etiam nunc timor.“ Inseramus quoque h. l., quibus verbis Seneca pergat (ep. 97, 16): „Male de nobis actum erat, quod multa scelera legem et vindicem effugiunt et scripta supplicia, nisi illa naturalia et gravia de praesentibus solverent et in locum patientiae timor cederet;“ eandem invenimus apud poetam sententiam (Tro. 334): „Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor“. Inprimis autem Phaedrae recorderis (Phaed. 162/4): „Quid poena praesens, conscius mentis pavor Animusque culpa plenus et semet timens? Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit;“ id quod his exemplis brevissime philosophus pronuntiat (ep. 108, 8): „Tutum aliqua res in mala conscientiae praestat, nulla securum;“ ep. 97, 13: „Ita est, tuta scelera esse possunt, secura non possunt,“ idem pluribus verbis tractatur h. l. (ep. 97, 15): „Epicuro . . . hic consentiamus mala facinora conscientia flagellari et plurimum illi tormentorum esse eo, quod perpetua illam sollicitudo urget ac verberat, quod sponsoribus securitatis suae non potest credere. hoc enim ipsum argumentum, Epicure, [est,] natura nos a scelere abhorrere, quod nulli non etiam inter tuta timor est;“ item ep. 105, 7: „securitatis magna portio est nihil iniqui facere: confusam vitam et perturbatam impotentes agunt. tantum metuunt, quantum nocent nec ullo tempore vacant. trepidant enim cum fecerunt, haerent: conscientia aliud agere non patitur ac subinde respondere ad se cogit. dat poenas quisquis exspectat: quisquis autem meruit, exspectat.“ Ag. 252: „Quod metuit auget, qui scelus scelere obruit.“ Phaed. 602 sq., quos versus supra iam attulimus,

Phaedra conscientia culpae et trepidatione agitata anceps est verbaque ei quasi in ore haerent; eadem vehementissime stimulis culpae flagellatur (Phaed. 1159 sq.): „Me, me, profundi saeve dominator freti, Invade et in me monstra caerulei maris Emitte, quicquid intimo Tethys sinu Extrema gestat, quicquid Oceanus vagis Complexus undis ultimo fluctu tegit. . . . heu me, quo tuus fugit decor Oculique nostrum sidus? exanimis iaces? Ades parumper verbaque exaudi mea — Nil turpe loquimur: hac manu poenas tibi Solvam et nefando pectori ferrum inseram Animaque Phaedram pariter ac scelere exuam . . . Audite, Athenae, tuque, funesta pater Peior noverca: falsa memoravi et nefas Quod ipsa demens pectore insano hauseram, Mentita finxi . . . Mucrone pectus impium iusto patet Cruorque sancto solvit inferias viro.“ In Oedip. fabula pastor, cui olim puer traditus erat interficiendus, diutius culpae conscientia, ut nil respondeat quaerenti, retinetur, dum hic cunctantem denique his verbis admoneat (Oed. 850): „Quid verba quaeris? veritas odit moras?“ Pertinent utique ad hunc locum illae exclamationes, quae frequentantur in tragoediis velut (Thy. 423, Med. 895, aliisque locis): „Quid anime cessas?“ atque illa verba, quibus hunc metum sollicitudinemque vitare nefarii conantur sese impellentes (Phaed. 592): „Aude, anime, tempta, perage mandatum tuum. Intrepida constent verba: qui timide rogat, Docet negare.“ Etiam illa audacissima Medea tali miserrimo conscientiae metu discruciata describitur (Med. 926 sq.): „Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu Pectusque tremuit. ira discessit loco Materque tota coniuge expulsa redit. Egone ut meorum liberum ac prolis meae Fundam cruorem? melius, a demens furor! Incognitum istud facinus ac dirum nefas A me quoque absit; quod scelus miseri luent? Sunt innocentes: fateor, et frater fuit. Quid anime titubas? ora quid lacrimae rigant Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor Diducit? anceps aestus incertam rapit; Ut saeva rapidi bella cum venti gerunt Utrimque fluctus maria discordes agunt Dubiumque fervet pelagus, haut aliter meum Cor fluctuatur.“

Atqui apud Senecam nonnumquam quodammodo ab his nequissimi separantur (de vita b. 12, 5): „quod unum habebant in malis, bonum perdunt, peccandi verecundiam. laudant enim

ea, quibus erubescebant et vitio gloriantur." Ac profecto iidem in tragoediis hic et illic inveniuntur summo furore ut voluptate inflammati (Med. 911): „Iuvat iuvat rapuisse fraternum caput, Artus iuvat secuisse et arcano patrem Spoliasse sacro, iuvat in exitium senis Armasse natas;" ipso Medea nomine, quocum haec scelera artissime coniuncta sibi videantur, eximie gloriatur (Med. 171): „Nutr.: Medea! Med.: Fiam." Med. 991 sq.: „. . . Voluptas magna me invitam subit, Et ecce crescit. derat hoc unum mihi, Spectator iste. . . . (1010) ut duos perimam, tamen Nimium est dolori numerus angustus meo. Perfruere lento scelere, ne propera, dolor: Meus dies est." Talem quoque se gerentem Atreum finxit poeta (Thy. 494 sq.): „. . . Venit in nostras manus Tandem Thyestes, venit et totus quidem. Vix tempero animo, vix dolor frenos capit. Sic, cum feras vestigat et longo sagax Loro tenetur Umber ac . . . Thy. 707 sq.: „Ieiuna silvis qualis in Gangeticis Inter iuvencos tigris erravit duos, Utriusque praedae cupida quo primum ferat . . . Sic dirus Atreus capita devota impiae Speculatur irae: quem prius mactet sibi Dubitat, secunda deinde quem caede immolet. Nec interest, sed dubitat et saevum scelus Iuvat ordinare." Thy. 903 sq.: „Libet videre, capita natorum intuens Quos det colores, verba quae primus dolor Effundat aut ut spiritu expulso stupens Corpus rigescat. fructus hic operis mei est: Miserum videre nolo, sed dum fit miser." Sane Senecam de talibus animi morbis inauditis diligentissime disquisivisse compluribus locis librorum ad philosophiam spectantium demonstratur (de clem. I, 24, 3): „crudelitas minime humanum malum est, indignumque tam miti animo. ferina[1]) ista rabies est sanguine gaudere ac volneribus, et abiecto homine in silvestre animal transire."[1]) de clem. II. 4, 3: „possumus dicere non esse hanc crudelitatem sed feritatem, cui voluptati saevitia est. possumus insaniam vocare: nam varia sunt genera eius et nullum certius quam quod in caedes hominum et laniationes pervenit. Illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent." Sed Oed. 236: „Nec tibi longa manent sceleratae gaudia caedis."

[1]) cf. inprimis Thy. 707 sq. versus modo citatos.

Tamen ad deos videlicet, inquis, atque in caelum vehi tale portentum in Medeae fabulae exitu poeta iubet. Quid ergo, quaeris, talia Annaeum Senecam moralium arbitrum composuisse dicis; ac sua sponte quidem fecisse, quoniam Euripides, quod tam dura atque tam incredibilia divinitus acciderint, his verbis extremis conquestus sit (Eurip. Med. 1415): „*Πολλῶν ταμίας Ζεὺς ἐν Ὀλύμπῳ, Πολλὰ δ᾽ ἀέλπτως κραίνουσι θεοί. Καὶ τὰ δοκηθέντ᾽ οὐκ ἐτελέσθη, Τῶν δ᾽ ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός. Τοιόνδ᾽ ἀπέβη τόδε πρᾶγμα.*“ Videri quidem primo obtutu permirum talem Annaeanae tragoediae finem concedimus; sed, ut rectius intellegas, quid illis verbis dixisse sibi visus sit poeta, eandem philosophus sententiam in ludo de morte Claudii aperuit (Lud. de C. m. 10, 4sq.): „iste quem videtis, per tot annos sub meo nomine latens, hanc mihi gratiam rettulit, ut duas, Iulias proneptes meas occideret, alteram ferro, alteram fame, unum abnepotem S. Silanum. . . . Tu Messalinam, cuius aeque avunculus maior eram quam tuus, occidisti. ... Occiderat ille socerum: hic et generum. . . Occidit in una domo Crassum Magnum, Scriboniam, Tristioniam, [Bassionam], Assarionem, nobiles tamen: Crassum vero tam fatuum, ut etiam regnare posset. Cogitate, P. C., quale portentum in numerum deorum se recipi cupiat.“ Nonne tale atque idem huius fabulae portentum: Medea extrema sane insolentia stimulata in amplissimum deorum ordinem se promoveri gloriatur his prolatis verbis inauditis (Med. 1022/5)?: „. . . patuit in caelum via: Squamosa gemini colla serpentes iugo Summissa praebent. recipe iam natos, parens; Ego inter auras aliti curru vehar.“ „At“, pergit philosophus in ludo (Lud. d. C. m. 11, 4): „hunc deum quis colet? quis credet? dum tales deos facitis, nemo vos deos esse credet;“ atque item poeta his verbis (Med. 1026/7): „Per alta vade spatia sublimi aethere, Testare nullos esse, qua veheris, deos.“ Ac porro, ut h. l. cum poeta argumentis fabularum traditis cogimur, ut scelera Medeae parricidae ac veneficae „tantum odio damnemus et inter ea relinquamus, quae ad iudices deos mittimus,“ cum ingratiam, cuius a Medea quidem Iason accusatur (cf. Med. 1021), nimis pro culpa multari credamus, ita de talibus rebus philosophus idem iudicat, cum exponit, quam iniqua ratione per leges reipublicae scriptas talia crimina aestimentur (de benef. III, 6):

„quaeritur, . . an haec lex, quae in scholis exercetur, etiam in civitate ponenda sit, qua ingrati datur actio, quae videtur aequa omnibus. . . . excepta Macedonum gente non est in ulla data adversus ingratum actio, magnumque hoc argumentum est dandam non fuisse, quia adversus maleficium omne consensimus, et homicidii, veneficii, parricidii, violatarum religionum aliubi atque aliubi diversa poena est, sed ubique aliqua: hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, ubique inprobatur. neque absolvimus illud, sed cum difficilis esset incertae rei aestimatio, tantum odio damnavimus et inter ea reliquimus, quae ad iudices deos mittimus.“

Facile tragoediarum auctorem sensisse profiteberis plurima per homines vitia esse pervagata sceleribusque totum mundum nimis redundare, quoniam ex omnibus illis locis, quos supra commemoravimus, satis nimisque hoc cognoveris. Itaque hoc unum tantummodo exemplum, quo inter homines, sive pauperes sive divites sunt, nusquam fidem inveniri ex poetae opinione optime elucet, afferre liceat (H. Oet. 600 sq.): „Nunc quoque casum quemcumque times, Fidas comites accipe fatis: Nam rara fides Ubi iam melior fortuna ruit. Tu quicumque es qui sceptra tenes, Licet omne tua vulgus in aula Centum pariter limina pulset: Quom tot populis stipatus eas, In tot populis vix una fides. Tenet auratum limen Erinys, Et quom magnae patuere fores, Intrant fraudes cautique doli Ferrumque latens. . . .“ Sed iam, quid Seneca philosophus de hac re sentiat, aperiatur (de brev. v. 2, 3): „urgentia circumstant vitia undique nec resurgere aut in dispectum veri adtollere oculos sinunt, sed mersos et in cupiditatem infixos premunt. numquam illis recurrere ad se licet. si quando aliqua fortuito quies contigit, veluti profundo mari, in quo post ventum quoque volutatio est, fluctuantur nec umquam illis a cupiditatibus suis otium instat. de istis me putas disserere, quorum in confesso mala sunt? adspice illos, ad quorum felicitatem concurritur: bonis suis effocantur. quam multis divitiae graves sunt? quam multis . . . omnis denique istos ab infimis usque ad summos pererra:“ de v. beata 2, 1: „non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant: argumentum pessimi turba est;“ de trq. animi 15, 1: „occurrit tot scelerum felicium turba“ — cf. Herc. f. 251: „Prosperum ac felix scelus virtus vocatur“;

Phaed. 598: „Honesta quaedam scelera successus facit.“ Pergit philosophus: „cum cogitaveris, quam sit rara simplicitas et quam ignota innocentia et vix umquam nisi cum expedit fides“ — cf. Med. 503: „Tibi innocens sit, quisquis est pro te nocens“ (item utilem quidem, sed falsam innocentiam fingit scelerata Medea); Oed. 686: „Aditum nocendi perfido praestat fides“ (fide ergo nefarius suo commodo turpiter abutitur). Denique pergitur: „et libidinis lucra damnaque pariter invisa et ambitio usque eo iam se suis non continens terminis, ut per turpidinem splendeat: agitur animus in noctem et velut eversis virtutibus, quas nec sperare licet nec habere prodest, tenebrae oboriuntur.“

Ac si intimam philosophi sententiam penitus inspexeris, mundum, quantopere senescit et ad illam perturbationem ruinamque appropinquat, tantopere deteriorem fieri tantoque occupari magis magisque publico generis humani odio credidisse Senecam cognosces (de ira II, 9): „omnia sceleribus ac vitiis plena sunt. Plus committitur quam quod possit coercitione sanari. Certatur ingenti quidem nequitiae certamine: maior cotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris aequiorisque respectu, quocumque visum est libido se inpingit, nec furtiva iam scelera sunt: praeter oculos eunt, adeoque in publicum missa nequitia est et in omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Numquid enim singuli aut pauci rupere legem? undique velut signo dato ad fas nefasque miscendum coorti sunt. Non hospes ab hospite tutus, Non socer a genero. fratrum quoque gratia rara est. Inminet exitio vir coniugis, illa mariti. Lurida terribiles miscent aconita novercae. Filius ante diem patrios inquirit in annos.“ Quos eosdem versus ex illa Ovidii Nasonis carminum[1]) parte desumptos, qua hic poeta mundum per quattuor aetates deteriorem deterioremque factum descripsit, rursus — tantopere tales sententiae Senecae curae erant haerebantque ei in medullis — repetivit (de benef. V, 15, 2, 3): „non undique humano generi convicium fit? non publica querela est beneficia perisse . . .; ecce nescio qui non ex philosophorum domo clamat, ex medio conventu populos gentesque

[1]) cf. Ovid, met. 144 sq.

damnatura vox mittitur: Non hospes ab hospite tutus, Non socer a genero. fratrum quoque gratia rara est. Inminet exitio vir coniugis, illa mariti. Hoc iam amplius est. beneficia in scelus versa sunt et . . .“ Denique sententiam suam haud dubie aperuit philosophus (ep. 99, 44): „non tamen negaverim fuisse alti spiritus viros et, ut ita dicam, a dis recentes. neque enim dubium est, quin meliora mundus nondum effetus ediderit.“ Inde eadem sane opinione fit, ut in Thyestis tragoedia chorus de illo saevo atque inaudito Atrei scelere certior factus haec verba proferat (Thy. 875 sq.): „Nos e tanto viri populo Digni premeret quos everso Cardine mundus? In nos aetas ultima venit? O nos dura sorte creatos, Seu perdidimus solem miseri Sive expulimus.“ Similiter in Phaedrae fabula Hippolytus, postquam a versu 525 illam auream aetatem laudavit (Phaed. 525 sq.): „. . . hoc equidem reor Vixisse ritu prima quos mixtos deis Profudit aetas. nullus his auri fuit Caecus cupido, nullus . . .“ cf. ep. 90, 37 sq.: „. . . quid hominum illo genere felicius? in commune rerum natura fruebantur. sufficiebat illa ut parens in tutelam omnium: haec erat publicarum opum secura possessio . . .,“ paulo postea, ubi castus insanum matris amorem comperit, hoc prodigio paene obstupefactus dis supplicat, ut tanta scelera toto cum mundo exstinguant (Phaed. 671 sq.): „Magne regnator deum, Tam lentus audis scelera? tam lentus vides? Et quando saeva fulmen emittes manu, Si nunc serenum est? omnis impulsus ruat Aether et atris nubibus condat diem, Ac versa retro sidera obliquos agant Retorta cursus . . . lucem merge et in tenebras fuge.“ Neque igitur iam miramur, quod diversis tragoediarum locis poeta, ut describat, quantum monstrum sit aliquod scelus, prodigia quae pronuntiare videntur mundi ruinam attulit.

Sed nunc ut progrediamur: quibus remediis occurratur affectibus malis? cf. ad Marc. 1, 7—8: „omnia vitia penitus insidunt, nisi dum surgunt, oppressa sunt; cupissem itaque primis temporibus ad istam curationem accedere. leviore medicina fuisset oriens adhuc restringenda vis, vehementius contra inveterata pugnandum est“. Consentit huic sententiae prompte poeta (Phaed. 132): „Quisquis in primo obstitit Pepulitque amorem, tutus ac victor fuit. Qui blandiendo

dulce nutrivit malum, Sero recusat ferre, quod subigit iugum"; idem porro philosophus pronuntiat (de ira I, 7, 2): „Primum facilius est excludere perniciosa quam regere et non admittere quam admissa moderari"; ep. 116, 3: „inbecillus est primo omnis adfectus. deinde ipse se concitat et vires, dum procedit, parat: excluditur facilius quam expellitur"; item ep. 85, 9; de ira II, 22, 2. Summum vero efficere solet bona voluntas ac ratio (ep. 95, 57): „actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas"; Phaed. 140: „Honesta primum est velle nec labi via"; Phaed. 254: „Pars sanitatis velle sanari fuit"; ep. 34, 3: „itaque pars magna bonitatis est velle fieri bonum". Sed Ag. 129: „Da tempus ac spatium tibi Quod ratio non quit saepe sanavit mora"; ad Marc. 1, 6: „illud ipsum naturale remedium temporis, quod maximas quoque aerumnas componit". Porro ad Helv. 13, 2: „cum semel animum virtus induravit, undique involnerabilem praestat"; hinc itaque vir bonus profitetur (Oed. 517): „Ubi turpis est medicina, sanari piget". Tamen non solum ex honesto, sed etiam e sola utilitate remedia expetuntur (de ira II, 24): „ergo ira abstinendum est: . . . cum pare contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum;" Med. 430: „Nemo potentes aggredi tutus potest."

Optimum autem, cum hominum mores tam corrupti sint, est hoc (de vita beata 1, 4): „Sanabimus, si modo separemus a coetu"; ep. 104, 21: „Si velis vitiis exui, longe a vitiorum exemplis recedendum est: avarus, corruptor, saevus, fraudulentus, multum nocituri, si prope a te fuissent, intra te sunt"; de otio 1, 1: „licet nihil aliud, quod sit salutare, temptemus. proderit tamen per se ipsum secedere; meliores erimus singuli"; ep. 66, 31: „sequitur autem ratio naturam; quid est ergo ratio? naturae imitatio"; ad Helv. 8, 4—6: „quicquid optimum homini est, id extra humanam potentiam iacet; nec dari nec eripi potest: mundus hic, quo nihil neque maius neque ornatius rerum natura genuit, animus contemplator admiratorque mundi . . . alacres itaque et erecti, quocumque res tulerit, intrepido gradu properemus. emetiamur quascumque terras: nullum inveniri exilium intra mundum (pot)est alienum homini [est]. . ." Admonetur itaque voce animi divina Thyestes in scelerati fratris regnum reversus, ut statim revertatur a perditorum frequentium coetu in illam

sinceram naturam, quam exilium asperum cuncti stulte putant (Thy. 411 sq.): „Occurret Argos, populus occurret frequens; Sed nempe et Atreus. repete silvestres fugas Saltusque densos potius et mixtam feris Similemque vitam; clarus hic regni nitor Fulgore non est quod oculos falso auferat: Cum quod datur spectabis, et dantem aspice. Modo inter illa quae putant cuncti aspera Fortis fui laetusque; nunc contra in metus Revolvor: animus haeret ac retro cupit Corpus referre, moveo nolentem gradum". Neque aliter Hippolytus castus ex turba turpissimis libidinibus peccantium, quos, „si prope a se fuissent, intra se fore" (cf. l. l. ep. 104, 2) haud ignorare videtur, puram desiderans naturam exclamat haec optima verba (Phaed. 713): „O silvae, o ferae!" Neque Hippolyto, ut illi Atreo, in malam partem persuadetur, sed probissimus nefas matris pellicientis (Phaed. 736) „Fugit insanae similis procellae, Ocior nubes glomerante Coro, Ocior cursum rapiente flamma, Stella cum ventis agitata longos Porrigit ignes. Conferat tecum decus omne priscum Fama miratrix senioris aevi". Unus igitur ex media nefariorum turba innocens Hippolytus illis „alti spiritus viris et a dis recentibus" (cf. ep. 90, 44) illius aurei aevi comparatur. Denique Oedipus (Oed. 13): „Curis solutus exul, intrepidus, vagans (Caelum deosque testor) in regnum incidi."

Copiosissime atque ratione vere Annaeana Phaed. 483 sq. naturae sanctitas laudatur, quae omnibus humanis affectibus vitiisque carens eos, qui se sequantur, integros servet; purissimam esse tunc naturam talemque, quale olim illud priscum aevum fuisse putent: „Non alia magis est libera et vitio carens Ritusque melius vitae quae priscos colat, Quam quae relictis moenibus silvas amat. Non illum avarae mentis inflammat furor Qui se dicavit montium insontem iugis, Non aura populi et vulgus infidum bonis . . ."; ita quaecumque novit Seneca vitia a sancta natura longe abesse diligentissime poeta explicat; eodem modo malis negatis illa summa pulcherrimaque bona commenticia describere, quae opponuntur mundo, qui tunc est revera maleque et turpiter se habet, infra cognoscemus[1]) Annaeo philosopho esse proprium; hoc loco id unum quod multorum vim habet testimonium e tanto numero comme-

[1]) praeterea cf. pag. 78 (H. f. 698 sq. = ep. 82, 15).

morare liceat (Phaed. 498): „... non cruor largus pias Inundat aras, fruge nec sparsi sacra Centena nivei colla summittunt boves". Quis enim est, quin Augustinum de civ. dei VI, c. 10 testatum in memoriam suam revocet Senecam philosophum in illo de superstitione dialogo „de ipsis ritibus crudeliter turpibus quam libere scripsisse!" Poetam haud dubie ipsum in philosophorum domo versatum ac peritissimum firmumque ad has Annaeanas sententias in adversariorum impetus tuendas sibi visum esse his duobus quae sequentia afferamus exemplis demonstratur; neque enim quisquam mutuatus tantummodo tales sententias doctrinam, cui favet, tam libere ac lubrica paene ratione profitebitur, ut ipsis falsis decretis, sed in bonam speciem perversis homines fabularum pellici iubeat (Phaed. 461 sq.): „Truculentus et silvester ac vitae inscius Tristem iuventam Venere deserta coles? Hoc esse munus credis indictum viris, Ut dura tolerent, cursibus domitent equos Et saeva bella Marte sanguineo gerant? ... caelibem vitam probet Sterilis iuventus: hoc erit, quicquid vides, Unius aevi turba et in semet ruet. Excedat agedum rebus humanis Venus, Quae supplet ac restituit exhaustum genus: Orbis iacebit squalido turpis situ, ... Proinde vitae sequere naturam ducem: Urbem frequenta, civium coetum cole". Ut h. l. nefario scelere sub naturae legis specie dissimulato nutrix pellicit, ita ipsi naturae, cuius pura maiestas vixdum pronuntiata est, ab istis superstitionis dis impudicis pollui exprobratur (Phaed. 777 sq.): „Quid deserta petis? tutior aviis Non est forma locis: te nemore abdito, Cum Titan medium constituit diem, Cingent turba licens, Naides improbae, Formonsos solitae claudere fontibus, Et somnis facient insidias tuis [Lascivae nemorum deae] Panas quae Dryades montivagos petunt". Quibus rebus iniectis aeterna naturae constantia hominibus pravitate huc illucque direptis animisque eorum affectibus dilaceratis opponitur (Phoen. 478 sq.): „Nihil iam iura naturae valent, Post ista fratrum exempla ne matri quidem Fides habenda est". Phaed. 960 sq.: O magna parens Natura, deum Tuque igniferi rector Olympi Qui sparsa cito sidera mundo Cursusque vagos rapis astrorum Celerique polos cardine versas Cur tanta tibi cura perennes Agitare vias aetheris alti, Ut nunc canae frigora brumae Nudent silvas, Nunc arbustis redeant umbrae, ... Viresque suas tem-

peret annus? Sed cur idem qui tanta regis, Sub quo vasti pondera mundi Librata suos ducunt orbes, Hominum nimium securum abes. Non sollicitus Prodesse bonis, nocuisse malis? Res humanas ordine nullo Fortuna regit sparsitque manu Munera caeca, peiora fovens; Vincit sanctos dira libido, Fraus sublimi regnat in aula. Tradere turpi fasces populus Gaudet, eosdem colit atque odit. Tristis virtus perversa tulit Praemia recti: Castos sequitur mala paupertas Vitioque potens regnat adulter: O vane pudor falsumque decus". Singulari profecto arte videtur quidem his versibus poeta sanctam naturae providentiam iniustitiae accusare — quam eandem quaestionem philosophus dialog. libro primo tractavit, cum de his rebus dubitari ab hoc illoque homine senserit: „quare aliqua incommoda bonis viris accidant, cum providentia sit" —, revera nil nisi id efficitur, ut naturae aeternitas contrariis rebus aequabiliter in vicem succedentibus constans (cf. ep. 107, 8) comparetur cum humanarum rerum fragilitate, fraudibus in aulis regnantibus, populi mobilitate. Item est talis natura h. l. (H. Oet. 1980): „te mundus aeternum tenet"; porro naturae leges secundum poetae sententiam esse tales, quibus constantius certiusque excogitari non possit, ex eo elucet, quod monstra omnino incredibilia inauditaque scelera legibus naturae eversis saepissime adumbrentur (Agam. 34): „Versa natura est retro Avo parentem, pro nefas, patri virum Gnatis nepotes miscui, nocti diem"; Oed. 371: „Natura versa est, nulla lex utero manet"; Phaed. 173: „Perge et nefandis verte naturam ignibus Cur monstra cessant? aula cur fratris vacat? Prodigia totiens orbis insueta audiet, Natura totiens legibus cedet suis, Quotiens amabit Cressa"; Thy. 810sq.: „Numquid struitur via Phlegraeos Alta per hostes et Thessalicum Thressa premitur Pelion Ossa? Solitae mundi periere vices? Nihil occasus, nihil ortus erit Stupet Eoos . . ."; Oed. 23: „Parum ipse fidens mihimet in tuto tua, Natura posui iura". Item Seneca (ep. 122, 6sq.): „non videntur tibi contra naturam vivere, qui ieiuni bibunt . . .; non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem? non vivunt contra naturam, qui spectant, ut pueritia splendeat tempore alieno? . . . non vivunt contra naturam qui hieme concupiscunt rosam . . .? non vivunt contra naturam qui . . .? Cum instituerunt omnia contra naturae consuetudinem velle,

novissime in totum ab illa desciscunt"; (n. quaest. III, 16, 3): „... cum videas ordinem rerum et natura per constituta procedere: hiems numquam aberravit. aetas suo tempore incaluit. autumni verisque, ut solet, facta mutatio est. tam solstitium quam aequinoctium suos dies retulit. Sunt et sub terra minus nobis nota iura naturae, sed non minus certa"; ad Helv. 6, 8: „omnia volvuntur semper et in transitu sunt. ut lex et naturae necessitas ordinavit, aliunde alio deferuntur. cum per certa annorum spatia orbes suos explicuerint, iterum ibunt per quae venerant, . . . cum dei natura adsidua et citatissima commutatione vel delectet se vel conservet". Inprimis autem illis naturae accusationibus, quae videntur quidem versibus Phaed. 975sq. supra citatis contineri, haec philosophi verba compares (ep. 4, 10): „magnae divitiae sunt lege naturae composita paupertas. Lex autem illa naturae scis quos nobis terminos statuat? non esurire, non sitire, non algere. Ut famem sitimque depellas, non est necesse superbis adsidere liminibus nec supercilium grave et contumeliosam etiam humanitatem perpeti ...: parabile est, quod natura desiderat, et adpositum"; ep. 25, 4: „ad legem naturae revertamur". Neque enim poeta idem nescit (Oed. 6sq.): „Quisquamne regno gaudet? O fallax bonum, Quantum malorum fronte quam blanda tegis? Ut alta ventos semper excipiunt iuga Rupemque saxis vasta dirimentem freta Quamvis quieti verberat fluctus maris, Imperia sic excelsa Fortunae obiacent. . . ."

Itaque naturam et deum eundem esse Seneca credit frg. 122 (Lactant. instit. lib. II, 8, 23): „melius igitur Seneca omnium Stoicorum acutissimus, qui vidit nil aliud esse naturam quam deum „Ergo", inquit, deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? nec illam didicit ex ullo. immo laudabimus. quamvis enim naturalis illi sit, sibi illam dedit, quoniam deus ipse natura est"; de benef. IV, 7, 1: „non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen deo? quid enim aliud est natura quam deus et divina ratio toti mundo partibusque eius inserta?" nat. quaest. II, 44, 3: „vis illum naturam vocare: non peccabis hic est, ex quo omnia sunt nata, cuius spiritu vivimus. vis illum vocare mundum: non falleris. ipse enim est hoc, quod vides totum, partibus suis inditus, et se sustinens et sua". Idem sentit poeta (H. Oet. 1980): „Es numen et te mundus aeternum

tenet"; Phaed. 959: „O magna parens, Natura, deum Tuque igniferi rector Olympi". Ut iam h. l. poeta, ita philosophus in hanc ancipitem sententiam, qua mundus aut ipsum divinum animal aut materia ratione naturae vel a deo recta sit, cadit (l. c. nat. quaest. II, 44, 1—2): „colimus . . . eundem . . . rectorem custodemque universi, animum ac spiritum mundi, operis huius dominum et artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum fatum vocare: non errabis. hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. vis illum providentiam dicere: recte dices. est enim, cuius consilio huic mundo providetur, ut in offensus exeat et actus suos explicet"; de vita beata 8, 4: „mundus quoque cuncta complectens rectorque universi deus"; nat. quaest. III, 29, 2: „sive anima est mundus sive corpus natura gubernabile".

Clare ac distincte a natura eius conditorem gubernatoremque secrevit, ut philosophus, ita poeta his locis (H. f. 459): „Qui gubernat astra, qui nubes quatit"; Ag. 803: „Pater qui sidera et terras regis"; Phaed. 300: „Qui caelum nebulasque ducit"; ibid. 903: „Gubernator poli"; H. Oet. 1275: „Summe pro rector poli"; l. c. nat. quaest. II. 45, 1: „rectorem custodemque universi, huius operis dominum et artificem"; Phoen. 655: „Mundi conditor deus"; ep. 119, 15: „ab illo mundi conditore"; de prov. 5, 8: „ille ipse omnium conditor et rector"; Phaed. 466: „Ille maximus mundi parens"; H. Oet. 1587: „Pater rerum"; ad Helv. 8, 3: „sive ille deus est potens omnium, sive incorporalis ratio ingentium operum artifex"; ep. 65, 12: „sed nos nunc primum et generalem quaerimus causam. haec simplex esse debet . . . quaerimus, quae sit causa, ratio scilicet faciens, id est deus"; frg. 26: „rectoris orbis terrarum coelique";[1]) H. Oet. 1173: „Pro mundi arbiter"; H. f. 597: „Caelestium arbiter parensque"; ep. 16, 5: „sive arbiter deus universi cuncta disponit". Porro deus parens rectorque deorum et hominum appellatur (Phaed. 671): „magne regnator deum"; H. Oet. 290: „Summe pro rector deum"; ibid. 1: „Sator deorum"; Phaed. 157: „Sator deorum"; H. f. 264: „Divum parens"; Thy. 90: „Magne divorum parens nosterque"; Phaed. 680: „Divum rector atque hominum"; H. f. 516: „Pro numinum vis summa, pro caelestium rector parensque"; Agam. 400: „Pater ac rector fulmine pollens";

[1]) cf. Lactant. inst. I, 5, 26.

frg. 26, Lactant. instit. I, 5, 26: „deorum omnium deus, a quo ista numina, quae singula adoramus et colimus, suspensa sunt“; de benef. VII, 31, 4: „deos esse more optimorum parentum“.

Nonnumquam Sol ut deus imploratur (neglectis videlicet illis locis, quibus fabulis traditur Solem Medeae Phaedraeque stirpis auctorem esse); velut ad Solem pertinent haec verba (Oed. 405): „Lucidum caeli decus“; H. Oet. 1094: „Leges in superos datas Et qui tempora digerit Quattuor praecipitis deus Anni, disposuit vices“; Thy. 836: „Aeternae facis exitu Dux astrorum saecula ducens Dabit aestati brumaeque notas“. Simillime Seneca cuiusdam philosophi animum impium et ingratam vituperat, quod non Solis, qui hominibus tanta beneficia reddat, numen divinum colat (de benef. VII, 31, 3): „alius solem, cui debemus, quod inter laborem quietemque tempus divisimus, quod non tenebris mersi confusionem aeternae noctis effugimus, quod annum cursu suo temperat et corpora alit, sata evocat, percoquit fructus, saxum aliquod aut fortuitorum ignium globum et quidvis potius quam deum adpellat“; eadem philosophi sententia ex hoc loco consequitur (ep. 102, 28): „aliquando naturae tibi arcana retegentur, discutietur ista caligo et lux undique clara percutiet. imaginare tecum quantus ille sit fulgor tot sideribus inter se lumen miscentibus; aequabiliter splendebit omne caeli latus: dies et nox aeris infimi vices sunt . . . quid tibi videbitur divina lux, cum illam suo loco videris? haec cogitatio nihil sordidum animo subsidere sinit . . . deos rerum omnium esse testes ait“. Potissimum in purissimo aethere deus versari videtur (H. f. 3): „Templa summi aetheris“; H. f. 1054: „Lugeat aether magnusque parens aetheris alti“; H. Oet. 92: „Templa et aetheriam domum“, ibid. 256: „Sedis aetheriae“; vel in sacro caelo: H. Oet. 1299, H. Oet. 1147, 1160, 1693; H. f. 3/4, aliisque locis; Senecam philosophum quoque numen divinum praecipue in caelo et inter sidera esse credidisse multis testimoniis probatur; haec tantummodo afferamus (n. quaest. II, 13, 3—4): „in aethere . . . ordo rerum est et purgatus ignis in custodia mundi summas sortitus oras operis pulcherrime circumit“; ibid. II, 14, 2: „paulatim ista in confinio vim suam miscent ita, ut dubitare possis, an aer an hic iam aether sit“; ibid. VI, 16, 2: „totum hoc caelum, quod igneus aether, mundi summa pars, claudit,

omnis hae stellae, ... omnis hic coelestium coetus"; ad Helv. 8, 5: „undicumque ex aequo ad coelum erigitur acies, paribus intervallis omnia divina ab omnibus humanis distant"; ad Polyb. 9, 8: „(beata anima) fruitur nunc aperto et libero caelo, ex humili atque depresso in eum emicuit locum, quisquis ille est, qui solutas vinculis animas beato recipit sinu"; ad Helv. 6, 7: „(spiritus) non ex terreno et gravi concreta corpore. ex illo coelesti spiritu descendit"; ad Helv. 6, 7; aliisque locis.

Liceat hoc loco a proposito quod instituimus, paululum digredi: ad idem enim pervenimus, si quibus partibus poetae mundus utique contineri visus sit quaeramus. Compluribus tragoediarum locis tria regna esse mundi plane significatur (H. f. 927): „Stet suo caelum loco tellusque et aequor". H. f. 609: „Tertiae sortis loca". Phaed. 1212: „Regna me norunt tria". Agam. 556: „Terraque et igne victus et pelago iacet". H. Oet. 1164: „Deorum regna senserunt tria". H. bet. 1838: „Terra atque pelagus quaque purpureus dies". Quibus locis satis manifestum est de his tribus mundi locis quasi de re certissima constitisse poetae, ut facile profitearis e poetica tantummodo arte ortos esse hos versus (H. Oet. 738): „I profuge quaere si quid ulterius patet Terris freto sideribus Oceano inferis"; H. Oet. 15: „Omne concessit malum Quod terra genuit pontus aer inferi"; his enim locis quam plurima loca enumerare refert; revera tamen nil nisi illa tria regna: terra, pontus, caelum commemorantur, praeterea autem, quod Herculis gloriae favetur, Tartarus vel inferi adduntur; item clare ex hoc qui sequitur loco elucet (H. Oet. 461): „Mare terra caelum et Tartarus servit mihi". Sane easdem tres mundi partes apud Senecam philosophum invenimus (nat. quaest. II, 12, 13; dicit enim 12, 4): „duae partes mundi in imo iacent: terra et aqua". Pergitur tunc terreno igne leviter praeterito 13, 12: „simile nihil accidit in illo igne purissimo in quo nihil est quod deprimatur . . . (§ 3): in aethere nihil enim iniuria cogitur, nihil rumpitur, nihil praeter solitum evenit. ordo rerum est et purgatus ignis in custodias mundi summas sortitus oras operis pulcherrime circumit". Clare ergo intellegitur Senecam mundum dispertivisse in 1) terram 2) aquam 3) illud divinum sive caelum sive purissimum ignem sive aethera.

Idem, quod modo invenimus, hoc loco, ut nullum relinquatur dubium, confirmatur (ep. 117, 23): „elige quamlibet rerum naturae partem, quam tibi praebere exitum iubeas: haec nempe sunt [et elementa], quibus hic mundus administratur: aqua, terra, spiritus: omnia ista tam causae vivendi sunt quam via emortis". Neque enim est, cur admireris hunc quasi alienum locum atque etiam oblitum esse h. l. philosophum illud quartum elementum suspiceris velut Albertus Forbiger, qui huic loco haec adnotavit: „Befremden muß die Auslassung des Feuers, als des vierten Elementes, da man sich doch auch durch Feuer töten kann": immo animadvertas potius non terrena quattuor elementa (cf. de his de ira II, 19, 1) enumerari h. l., sed „rerum naturae partes, quibus hic mundus administratur"; quarum nil nisi illas tres philosophus discernit, quoniam „ignem nostrum" inter terrena esse profiteatur ipse (nat. quaest. II, 13, 1, 2): „alia enim condicio nostrorum ignium est, ex quibus favillae cadunt, quae ponderis aliquid secum habent . . . Huic simile nihil accidit in illo igne purissimo".

Sed accuratius hanc quaestionem discutiamus! Intelleximus ab illis duabus terrenis partibus hoc unum divinum diligentissime discludere quantum Senecae interesset (nat. quaest. II, 12, 4): „duae partes mundi in imo iacent: terra et aqua". contra c. 13, 2: „in illo igne purissimo . . . nihil est, quod deprimatur. . . . nihil enim illic iniuria cogitur, nihil rumpitur, nihil praeter solitum evenit". Si huc adiciamus ipso ex hoc loco, quem modo probavimus, aliisque, quos et supra commemoravimus et plurimos praeterea apud Senecam invenire possimus, satis elucere illum inprimis clarissimum aethera et naturae constantiam vicissitudine siderum aeternam pro divino numine a Seneca adoratam esse, ab altera autem parte ex multis exemplis, quae supra enumeravimus, apertum esse mundum sceleribus hominum quasi redundare philosophum sibi persuasisse, quid igitur poetae qui, si vere Seneca fuit, nimirum ex deo tanta facinora orta esse credere non posset, aptius videri potuit quam ex apparatu poetico inferos cum rebus fabularum artissime coniunctos mutuari atque ordini naturae et caelestium pulcherrimo chaos inferorum, purissimae aetheris luci tenebras opponere, ab inferis autem hominum animos furore inflammatos fingere?

Quae res inter se oppositae profecto apud philosophum inveniuntur (de benef. VII, 31, 4): „sol est, cui debemus, quod inter laborem quietemque tempus divisimus, quod non tenebris mersi confusionem aeternae noctis effugimus . . .“; idem sane poeta profitetur — quoniam quantum poetae tragico ab hac nocte abesse videtur ille clarissimus aether, exemplis supra allatis satis elucet — (H. f. 610): „noctis aeternae chaos“. Inde chaos et inferorum tenebrae proxima inter se vel eadem esse videntur: nam si non iam solis beneficio „inter laborem quietemque tempus divisimus“, „mors erit“, ut philosophus de tranq. an. 17, 6 concedit. Eandem confirmat poeta sententiam (H. f. 664, 673/7): „Hic ora solvit Ditis invisi domus Hinc ampla vacuis spatia laxantur locis, Ad quae omne mersum penetrat humanum genus. Nec ira labor est: ipsa deducit via: Ut saepe puppes aestus invitas rapit, Sic pronus aer urguet atque avidum chaos“; H. f. 1108: „Resonet maesto clamore chaos“; Trad. 400: „Tempus nos avidum devorat et chaos“; Med. 741: „Chaos caecum atque opacam Ditis umbrosi domum“; H. Oet. 47: „Nox et extremum chaos“; H. f. 861/3: „Stat chaos densum tenebraeque turpes Et color noctis malus ac silentis Otium mundi vacuaeque nubes“; H. Oet. 1115: „Mors aliqua et chaos“; H. Oet. 1946: „Agnosco victum esse chaos“; Thy. 1007/9: „Non ad infernam Styga Tenebrasque mergis rupta et ingenti via Ad chaos inane regna cum rege abripis?“; H. Oet. 1134: „caecum chaos“.

Attamen infra, occurres nobis, subterraneis illis locis, quibus inferos exsistere populus credidit, tale chaos inferosve esse poeta fingit. Plane concedimus suo iure eum hoc fecisse, quoniam divino aetheri, quem in summo clarissimi mundi cacumine versari credebat, illae maestae inferorum tenebrae optime opponantur, quas alicubi sub terra sitas esse homines suspicabantur. Quali modo Senecam philosophum quoque, ut virtus in astra educatur, ita nequitiam inferius in Tartarum deduci incerto quodam sensu accepisse his duobus locis significatur, si quid verbis interluceat, penitus perspexeris (ep. 79, 10): „an Aetna tua possit sublabi et in se ruere. an hoc excelsum cacumen et conspicuum per vasti maris spatia detrahat adsidua vis ignium, nescio: virtutem non flamma, non ruina inferius adducet. haec una maiestas deprimi

nescit. sic huius, ut caelestium, statuta magnitudo est"; idem in consolatione quidem diligentibus verbis premendum esse putavit (ad Polyb. 9, 8): „non perdidit lucem frater tuus", quoniam mortuum, cuius ad memoriam scripsisset, virtute praeditum celebraverit. Revera ab hac opinione, quam populus de his rebus habebat, philosophum non semper afuisse clare et distincte ex his ipsius verbis cognoscimus (ep. 117, 6): „. . . non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos aut colentium".

Insuper autem huc, ut persuaseris tibi facile philosophum ad subterraneos inferos adductum esse statuendos, id unum praecipue accedit, quod arcana, quorum saepius angitudine sollicitabatur, tenacem noscendi cupiditatem ac quandam nova miraque visendi curam ei insitam fuisse haud neglegendum est: legamus tantummodo, quid etiam amico mandaverit (ep. 79, 1): „Exspecto epistulas tuas, quibus indices mihi, circumitus Siciliae totius quid tibi novi ostenderit, et omnia de ipsa Charybdi certiora, . . . Charybdis an respondeat fabulis, perscribi mihi desidero et, si forte observaveris, dignum est autem, quod observes, fac nos certiores, . . . an verum sit quicquid illo freti turbine adreptum est, per multa milia trahi conditum et circa Tauromenitanum litus emergere. si haec mihi perscripseris, tunc tibi audebo mandare, ut in honorem meum Aetnam quoque adscendas, quem consumi . . . colligunt quidam . . . neutrum autem incredibile est, nec montem, qui devoretur cotidie, minui nec ignem non manere eundem, qui non ipsum exest, sed in aliqua inferna valle conceptus exaestuat et aliis pascitur, in ipso monte non alimentum habet, sed viam". Non solum scit Ovidium, Vergilium, post hos Severum Cornelium Aetnam descripsisse, sed etiam ipse plurimis locis hunc montem commemorat: de benef. III, 37, 2; VI, 36, 1; n. q. II, 30, 1; ep. 51, 1; 79, 2—10; eodem modo, ne certe mireris, poeta saepe Aetnam laudat: Thy. 583; Med. 410; H. f. 106; H. Oet. 286, 190, 542, 1157; Ph. 102, 156. Ac si penitus in philosophi pectus descendamus, ut denique, quid fuerit, quod ad tales quaestiones moverit eum, comperiamus, horruisse Senecam illas terrae voragines hiantes ac portentosas intellegemus (nat. qu. VI, 32, 4): „pusilla res est hominis anima, sed ingens res contemptus animae: hanc qui contempsit, securus adspiciet ruptis conpagibus dehiscens

solum, illa licet inferorum regna retegantur. stabit super illam voraginem intrepidus et fortasse, quo debet cadere, desiliet"; nat. qu. III, 16, 4: „sunt et illic (i. e. sub terra) specus vasti, sunt ingentes recessus ac spatia suspensis hinc et inde montibus laxa. sunt abrupti in infinitum hiatus, qui saepe inlapsas urbes receperunt et ingentem ruinam in alto condiderunt. haec spiritu plena sunt. nihil enim usquam inane est, etiam stagna obsessa tenebris et * locis amplis"; de benef. VII, 20, 4: „sed haec rara nequitia est, et semper portenti loco habita, sicut hiatus terrae et e cavernis maris ignium eruptio. itaque ab illa recedamus: de iis loquamur vitiis, quae detestamur sine horrore". Idem sane poeta sentit (Oed. 582sq.): „Subito dehiscit terra et immenso sinu Laxata patuit — ipse torpentes lacus Vidi inter umbras, ipse pallentes deos Noctemque veram; gelidus in venis stetit Haesitque sanguis"; Oed. 572sq.: „Rumpitur caecum chaos Iterque populis Ditis ad superos datur. Subsedit omnis silva et erexit comas, Duxere rimas robora et totum nemus Concussit horror, terra se retro dedit Gemuitque penitus: sive temptari abditum Acheron profundum mente non aequa tulit, Sive ipsa tellus, ut daret functis viam, Compage rupta sonuit"; Troad. 168sq.: „Pavet animus, artus horridus quassat tremor. Maiora veris monstra (vix capiunt fidem) Vidi ipse, vidi. summa iam Titan iuga Stringebat ortu, vicerat noctem dies, Cum subito caeco terra mugitu fremens Concussa totos traxit ex imo sinus; Movere silvae capita et excelsum nemus Fragore vasto tonuit et lucus sacer; Idaea ruptis saxa ceciderunt iugis Nec terra solum tremuit: et pontus suum Adesse Achillem sensit ac stravit vada. Tum scissa vallis aperit immensos specus Et hiatus Erebi pervium ad superos iter Tellure fracta praebet ac tumulum levat"; H. f. 664: „Hic ora solvit Ditis invisi domus Hiatque rupes alta et immenso specu Ingens vorago faucibus vastis patet"; H. f. 679: „Intus immensi sinus"; itemque aliis locis.

Quibus ex infernis locis quod poeta eos egredi iubet, a quibus homines ad vitia adduci videntur, non iam habemus cur miremur, quoniam philosophus inprimis l. l. de benef. VII, 20, 4 sicut hiatus terrae igniumque eruptiones, ita extremam nequitiam loco portentorum, quae non sine horrore detestaretur, sese habere professus sit (Oed. 586sq.): „Saeva prosiluit cohors Et stetit in armis omne vipereum genus Fratrum catervae dente

Dircaeo satae. Tum torva Erinys sonuit et caecus Furor Horrorque et una quicquid aeternae creant Celantque tenebrae;" Troad. 181 sq.: „Emicuit ingens umbra Thessalici ducis Threicia qualis arma proludens tuis Iam, Troia, fatis stravit . . . Aut cum superbo victor in curru stetit Egitque habenas Hectorem et Troiam trahens. Implevit omne litus irati sonus: ‚. . . non parvo luit Iras Achillis Graecia et magno luet: Desponsa nostris cineribus Polyxene Pyrrhi manu mactetur et tumulum riget.' Haec fatus alta nocte demersit diem Repetensque Ditem rursus ingentum specum Coeunte terra iunxit." Imprimis scilicet sceleratorum umbrae prosiliunt, quoniam horum exemplis, ut supra demonstravimus, homines vitiis affici utrique auctori videntur; ut exemplo utamur (H. f. 495): „Umbrae Creontis et penates Labdaci Et nuptiales impii Oedipodae faces, Nunc solita nostro fata coniugio date. Nunc, nunc, cruentae regis Aegypti nurus, Adeste multo sanguine infectae manus. Dest una numero Danais: explebo nefas;" item initio Agamemnonis fabulae umbra Thyestis (Ag. 1 sq.): „Opaca linquens Ditis inferni loca Adsum profundo Tartari emissus specu, Incertus utras oderim sedes magis: Fugio Thyestes inferos, superos fugo . . ."; item initio Thyestis fabulae umbra Tantali (Thy. 1 sq.): „Quis inferorum sede ab infausta extrahit Avido fugaces ore captantem cibos, Quis male deorum Tantalo visas domos Ostendit iterum?"

Ipsa umbra in hac fabula rursus a Furia ad facinora adducitur his verbis vere Annaeanis (Thy. 23 sq.): „Perge detestabilis Umbra, et penates impios furiis age. Certetur omni scelere et alterna vice Stringatur ensis; ne sit irarum modus Pudorve, mentes caecus instiget furor . . ."; sic permulta enumerantur crimina, quaecumque veras esse poenas Seneca philosophus docet. Hoc igitur artificio poeta aptissime effecit, ut a perditorum umbris, cum ipsae a nepotibus ad vitia incitandis abhorreant, poenae vere Stoicae expetantur (Thy. 86): Umbra: „Me pati poenas decet Non esse poenam, mittor ut dirus vapor[1]) Tellure rupta vel gravem populis

[1]) cf. nat. qu. V, 4, 1: „alias enim terra ipsa vim magnam aeris eicit et ex abdito spirat, alias cum magna et continua ex imo evaporatio in altum egit quae emiserat inmutatio ipsa halitus mixti in ventum vertitur" (ibid. V, 12, 1): „corporum quae vapor terrenus emittit"; (ibid VI, 13, 1): „semper aliqua evaporatio est a terra"; porro nat. qu. I, 1, 7; V, 5, 1; VII, 4, 3; 6, 1; 7, 2; 8, 1; a. l.

luem Sparsura pestis, ducam in horrendum nefas Avus nepotes".

Denique Furiae ipsae hominum animos ad scelera inflammantes a poeta depinguntur (Med. 958sq.): „Quonam iste tendit turba Furiarum impotens? Quem quaerit aut quo flammeos ictus parat, Aut cui cruentas agmen infernum faces Intentat? ingens anguis excusso sonat Tortus flagello . . ." Medea, ut sua sponte nocens exsistat, initio fabulae ipsa Furias ex inferis elicit (Med. 13sq.): „Nunc, nunc adeste, sceleris ultrices deae, Crinem solutis squalidae serpentibus, Atram cruentis manibus amplexae facem, Adeste"; ac revera furentis Medeae pectus occupant (Med. 965): „Fige luminibus faces, Lania, perure, pectus en Furiis patet"; deinde, cum furor exstinguatur, rursus recedunt (Med. 967): „Discedere a me, frater, ultrices deas Manesque ad imos ire securas iube: Mihi me relinque".

Sane igitur nobis concedes poetam Furiis umbrisque ut poetico artificio usum esse; ac profecto idem invenimus apud Senecam philosophum (de ira II, 35, 4—5): „quales sunt hostium vel ferarum caede madentium aut ad caedem euntium adspectus, qualia poetae inferna monstra finxerunt subcincta serpentibus et igneo flatu, quales ad bella excitanda discordiamque in populos dividendam pacemque lacerandam[1]) teterrimae inferum exeunt: talem nobis iram figuremus; flamma lumina ardentia . . . vel, si videtur, sit quales apud vates nostros est Sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum, Aut scissa gaudens vadit Discordia palla,[2]) aut si qua magis dira facies excogitari diri adfectus potest".

Sed ad propositum nunc redeamus! Poeta, ut locis, quos supra tractavimus, sententias Stoicas plane profitetur, saepius eas ad nomina consuetudine vulgi et poetarum usitata accommodat. Nec vero casu prorsus huc illucve anceps est poeta: ubicumque aut ipse loqui videtur aut non simpliciter tragoediae persona, sed quivis homo in tali condicione versatus, de qua forte agitur in fabulis, deus imploratur Annaeana ratione; ad Iovis nomen autem poeta effugit, quibus locis Iuppiter quasi

[1]) cf. Thy., 23—67.

[2]) cf. Verg. Aen. VIII, 702sq.

fabulae personae similior quam deo Annaeano in scaenam inducitur: Phaed. 129, 1134; Troad. 140; H. f. 79, 2, 1036; H. Oet. 881. Item philosophus Iovis nomine utitur, quibuscumque exemplis deum cum Romanis rebus gestis convenire vult aut prorsus pro fabulae persona in ludo de morte Claudii; velut (ad Helv. 10, 8): „scilicet minus beate vivebat dictator noster qui Samnitium legatos audiit, cum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, illa, qua iam saepe hostem percusserat laureamque in Capitolini Iovis gremio reposuerat, quam Apicius . . .“; adde (de ira I, 20, 8—9): „eloquentur aliquid, quod tu magni putes, sicut C. Caesar, qui iratus caelo, quod obstreperetur pantomimis, quos imitabatur studiosius quam spectabat, quodque comessatio sua fulminibus terreretur prorsus parum certis, ad pugnam vocavit Iovem et quidem sine missione, Homericum illum exclamans versum: *Ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σέ.* — Quanta dementia fuit! putavit aut sibi noceri ne ab Iove quidem posse aut se nocere etiam Iovi posse“. item in ludo de m. Cl.: 5, 2, 3; 8, 2; 9, 1; 10, 4; 11, 1; a. l. Nonnumquam poeta deos, quos vulgus precatur, respuit. Inprimis in Herc. furentis fabulae initio in sinu gaudere videtur, quod Iunonem Herculis virtuti invidentem depingit (H. f. 73 sq.): Iuno: „(sic.: Herculea) Immota cervix sidera et caelum tulit Et me prementem: quaerit ad superos viam. Perge ira, perge et magna meditantem opprime, Congredere, manibus ipsa dilacera tuis: Quid tanta mandas odia? discedant ferae, Ipse imperando fessus Eurystheus vacet“; etiam nocentem deam finxit poeta (H. f. 114 sq.): „inveni diem, Invisa quo nos Herculis virtus iuvet. Me vicit . . . stabo et, ut certo exeant Emissa nervo tela, librabo manu, Regam furentis arma, pugnanti Herculem Tandem favebo — scelere perfecto licet Admittat illas genitor in caelum manus“; simili ratione philosophus quoque imbecillam Iunonis iram omnino deridet frg. 37 (August. de civ. dei VI, 10): „sedent quaedam in Capitolio, quae se a Iove amari putant nec Iunonis quidem, si credere poetis velis, iracundissimae, respectu terrentur“. De ipso Iove haec in lucem proferuntur (H. f. 489): „Quod Iovi, hoc regi licet: Iovi dedisti coniugem, regi dabis . . .“; et (H. f. 965): „Vincla Saturno exuam Contraque patris impii regnum impotens Avum resolvam; bella Titanes parent“; item apud philosophum

4*

frg. 119 (Lactant. instit. I, 16, 10): „non illepide Seneca in libris moralis philosophiae: Quid ergo est, inquit, quare apud poetas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere? utrum sexagenarius factus est et illi lex Papia fibulam imposuit? an impetravit ius trium librorum? an tandem illi venit in mentem: „Ab alio exspectes, alteri quod feceris“ et timet, ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno?“ Inde porro Phaedra, ut impium amorem excuset, talia verba facit (Phaed. 184sq.): „Quod ratio possit? vicit ac regnat furor Potensque tota mente dominatur deus. Hic volucer omni pollet in terra impotens Ipsumque flammis torret indomitis Iovem; Gradivus istas belliger sensit faces, Opifex trisulci fulminis sensit deus, Et qui furentis semper Aetnaeis iugis Versat caminos igne tam parvo calet; Ipsumque Phoebum tela qui nervo regit, Figit sagitta certior missa puer Volitatque caelo pariter et terris gravis“; item H. Oet. 472: „Vicit et superos Amor“. Quae ad verba cf. philosophi de superstitione dialog. frg. 39: „quid, quod et matrimonia, inquit, deorum iungimus? et ne pie quidem, fratrum ac sororum: Bellonam Marti collocamus, Vulcano Venerem, Neptuno Salaciam . . .“ et (lud. de morte Claudii 8, 2): „sororem suam, festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare“. Plane Senecam et philosophum et poetam istos deos non adorasse, sed fabulosarum personarum loco habuisse ac potius eos despexisse utique elucet ex Thy. 843, quo loco in perturbatione mundi describenda dicit poeta: „Ibit in unum Congesta sinum turba deorum“. Si haec legeris, nonne illorum philosophi verborum reminisceris (frg. 39): „omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longo aevo longa superstitione congessit, sic, inquit, adorabimus, ut meminerimus cultum eius magis ad morem quam ad rem pertinere“. Neu enim illa poetae verba perverse intellegas: verbum „congesta“ non pertinet ad verbum „ibit“, sed opponitur, quo fragilitas prematur istorum deorum, verbo „unum“: ingens illa deorum turba longa superstitione accumulata in unum atque unicum sinum „rudis indigestaeque molis“ concidet.

Denique ut philosophus in dialogo de superstitione Augustino teste, ita poeta turpissimos cultus mores atrocissimasque immolationes abominatur: Pyrrho malefico, qui ut virgo mactetur Achilli postulavit Agamemno respondet haec

(Troad. 298): „Quis iste mos est quando in inferias homo est Impensus hominis? detrahe invidiam tuo Odiumque patri, quem coli poena iubes". Pari modo sive turpes esse deos nefandosque, qui talibus rebus tamquam sacris coli velint, sive talem deorum colendorum morem non nisi a perditis hominibus exerceri satis his exemplis aperitur (Thy. 688): „Servatur omnis ordo, ne tantum nefas Non rite fiat"; (ibid. 695): „Attendit ipse: nulla pars sacri perit"; (ibid. 717): „Primus locus (ne desse pietatem putes) Avo dicatur: Tantalus prima hostia est". Ad extremum: Vanae Caesarum cupiditati divinorum honorum occurritur (Thy. 463/4): „Non ture colimur nec meae excluso Iove Ornantur arae"; item in curia deorum Claudio Caesari templis suis iactanti contradicitur (lud. de morte Cl. 8, 3): „deus fieri vult? parum est, quod templum in Britannia habet? quod hunc barbari colunt et ut deum orant μωροῦ εὐιλάτου τυχεῖν.

II.

Quantum furor hominum deique constantia inter se distent priore huius opusculi parte intelleximus. Nunc autem explicaturi, qua ratione homines ad dei similitudinem accedere vel, si ita vis, ipsos fieri deos Seneca philosophus et poeta doceat, eodem utrumque auctorem duplici modo parem philosophiae materiem tractare cognoscemus: quamquam homines perditos et nefarios esse mente percipit uterque consentaneumque putat deum credi clementem ac purissimum, tamen simul fato durissimo numen homines mundumque gubernare intellegit et hominem solum, qui omnibus rebus quae resistant fortiter victis summam praebeat virtutem, divinam vere maiestatem adepturum esse credit vel sperat. Ita qui est mundus tristem quidem visum habet, sive hominem sive deum contemplaris, sed tristi fato homini simul facultas praebetur summae quae dei gloriam obscuret laudis parandae. Primum igitur, quid de fato et de ratione, qua fatum hominesque coniuncti sint, uterque auctor sentiat, diligentius nunc disquiramus.

Compluribus locis apud poetam fatum „durum" appellatur; velut (H. f. 867): „Quid iuvat durum properare fatum"; (Med. 431): „O dura fata semper et sortem asperam"; (Troad. 524): „Durae minister sortis hoc primum peto";

(ibid. 1056): „O dura fata, saeva miseranda horrida“; (Oed. 412): „avidumque fatum“; eodem modo apud philosophum de fato dicitur (cons. ad Polyb. 1, 4): „crudelitatem fati“; (ibid. 11, 4): „sorte inexorabili“; (ibid. 4, 1): „(fata) stant dura et inexorabilia“; (ibid 3, 3): „o dura fata et nullis aequa virtutibus“; (ibid. 3, 5): „impotens fortuna“. Talia autem non esse sola nomina, sed utrumque auctorem de fati crudelitate sibi persuasisse ex hac re cognoscemus, quod idem non solum verbis nuntiant, sed etiam rebus fabularum componendis poeta, rebus vitae depingendis philosophus exponit; cf. cons. ad Polyb. 4, 1/3: „diutius accusare fata possumus, mutare non possumus. stant dura et inexorabilia. nemo illa convicio, nemo fletu, nemo causa movet. nihil umquam [parcunt] ulli [nec] remittunt. Proinde parcamus lacrimis nihil proficientibus. facilius enim nos illi dolor iste adiciet quam illum nobis reducet ... Nam lacrimis nostris, nisi ratio finem fecerit, fortuna non faciet. omnis agedum mortalis circumspice: larga ubique flendi et adsidua materia est. alium ad cotidianum opus laboriosa egestas vocat, alium ambitio numquam quieta sollicitat ... Lacrimae nobis deerunt ante quam causae dolendi. Non vides qualem nobis vitam rerum natura promiserit, quae primum nascentium hominum fletum esse voluit? hoc principio edimur, huic omnis sequentium annorum ordo consentit. sic vitam agimus“. Eadem profecto Troades fata sua lugentes sentiunt (Troad. 67/82): „Non rude vulgus lacrimisque novum Lugere iubes: Hoc continuis egimus annis, Ex quo tetigit Phrygius Graias ... Ut nulla dies maerore caret. Sed nova fletus causa ministrat: Ite ad planctus Miseramque leva, regina, manum. Vulgus dominam vile sequemur: Non indociles lugere sumus“; (Troad. 981/998): „Quis tam impotens ac durus et iniquae ferus Sortitor urnae regibus reges dedit? Quis tam sinister dividit captas deus? Quis arbiter crudelis et miseris gravis Eligere dominos nescit et [saeva manu Dat iniqua miseris fata? quis] matrem Hectoris Armis Achillis miscet? ad Ulixen vocor: Nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi Obsessa videor cladibus — domini pudet, Non servitutis. [Hectoris spolium feret Qui tulit Achillis?] sterilis et saevis fretis Inclusa tellus non capit tumulos meos — ... Me mea sequentur fata: non pelago quies Tranquilla veniet, saeviet ventis mare, * * * Et bella et ignes et mea et Priami mala ...“

Talibus Hecubae querelis respondeamus aptissime Senecae philosophi verbis pergentes (cons. ad. Polyb. 9, 6): „si velis credere altius veritatem intuentibus, omnis vita supplicium est. in hoc profundum inquietumque proiecti mare, alternis aestibus reciprocum et modo adlevans nos subitis incrementis, modo maioribus damnis deferens adsidueque iactans numquam stabili consistimus loco. pendemus et fluctuamur et alter in alterum inlidimur et aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc procelloso et in omnes tempestates exposito mari navigantibus nullus portus . . .“ Inprimis his verbis: „Si velis credere altius veritatem intuentibus“ clare et distincte demonstratur philosophum de his rebus non solum garrire, sed penitus sibi persuasisse et ex aperto pectore dicere. Neque aliud de tragico poeta profitendum est: nam qui hos versus scripsit (Troad. 1042/55): „Solvet hunc questum lacrimasque nostras Sparget huc illuc agitata classis Cum tuba iussi dare vela nautae Et simul ventis properante remo Prenderint altum fugietque litus. Quis status mentis miseris, ubi omnis Terra decrescet pelagusque crescet, Celsa cum longe latitabit Ide? Tum puer matri genetrixque nato Troia qua flagret regione monstrans Dicet et longe digito notabit: Ilium est illic, ubi fumus alte Serpit in caelum nebulaeque turpes. Troes hoc signo patriam videbunt“, nonne tibi ipse talia pertulisse videtur, cum tam miserabiliter, ut quasi oculis cerni possit, dolorem luctumque Troadum patria expulsorum depingat?

Auctor, cui fatum quam gravissimum adumbrandum esse appareat, id ea re efficit, ut omnes Troadum res adversae in unam Hecubam concidant (Troad. 1056/62): „(Nuntius:) O dura fata saeva miseranda horrida! Quod tam ferum, tam triste bis quinis scelus Mars vidit annis? quod prius referens gemam Tuosne potius, an tuos luctus, anus? (Hecuba:) Quoscumque luctus fleveris, flebis meos: Sua quemque tantum, me omnium clades premit; Mihi cuncta pereunt: quisquis est Hecubae est miser.“ Quod artificium, quo omnium calamitatibus in unum hominem convocatis crudelitatem fati auget poeta, philosophi ad solacii similitudinem prope accedit, quo hic compluribus locis homines suum fatum lugentes communi fato tristi ante oculos proposito consolatur. Porro Corsicae in exilio versatus Helviae matri ita scripsit (ad Helv. 18, 6): „deos oro, contingat

hunc (i. e. Marcum blandissimum puerum) habere nobis superstitem: in me omnis fatorum crudelitas lassata consistat: quicquid matri dolendum fuit, in me transierit, quicquid aviae, in me . . . fuerim tantum nihil amplius doliturae domus piamentum". Sane „piamentum" tale Troadum fato oblatum Hecubam cuique tragoediam legenti videri poeta sine dubio voluit; „piamentum" reapse cuique videtur. Nec porro Ulixes in scaenam progreditur ipse necis impius auctor, sed „durae minister sortis" ea, quae fata expetunt, remisso animo ac precibus magis quam potestate perficit (Troad. 524/8): „Durae minister sortis hoc primum peto, Ut ore, quamvis verba dicantur meo, Non esse credas nostra: Graiorum omnium Procerumque vox est, petere quos seras domos Hectorea suboles prohibet: hanc fata expetunt ..."; denique mitissimo sermone ei persuadet (Troad. 550/5): „magna res Danaos movet Futurus Hector: libera Graios metu Haec una naves causa deductas tenet, Hac classis haeret. neve crudelem credes Quod sorte iussus Hectoris natum petam: Petissem Orestem. patere quod victor tulit." Eodem modo in cons. ad Polyb. 13, 2: „nec enim sic me deiecit, ut nollet erigere, immo ne deiecit quidem sed impulsum a fortuna et cadentem sustinuit et in praeceps euntem leniter divinae manus usus moderatione deposuit" ipse philosophus, ut Caesaris, quamvis hic in exilium eiecisset, clementia ac iustitia praedicetur, fato sive fortunae crudelitati omnem culpam attribuit. Nimirum illae crudelissimae caedes fato similiter irrogantur (Troad. 360/70): „Dant fata Danais quo solent pretio viam: Mactanda virgo est Thessali busto ducis; Sed quo iugari Thessalae iugo solent Ionidesve vel Mycenaeae nurus, Pyrrhus parenti coniugem tradat suo: Sic rite dabitur. non tamen nostras tenet Haec una puppes causa: nobilior tuo, Polyxene, cruore debetur cruor. Quem fata quaerunt, turre de summa cadat Priami nepos Hectoreus et letum oppetat". Quem locum ipse philosophus optime commentatur (cons. ad Polyb. 16, 4): „nemo itaque miretur aliquid ab illa aut crudeliter fieri aut inique. potest enim haec adversus privatas domos ullam aequitatem nosse aut ullam modestiam, cuius implacabilis saevitia totiens ipsa funestavit pulvinaria? Faciamus licet illi convicium non nostro tantum ore, sed etiam publico, non tamen mutabitur. adversus omnis se preces omnisque ceremonias eriget. hoc fuit

in rebus humanis fortuna, hoc erit: nihil inausum sibi reliquit, nihil intactum relinquet. ibit violentior per omnia, sicut solita est semper . . .“

Ac compares his illa verba, quibus poeta Troadum fabulae initium facit (Troad. 1/19): Hecuba: „Quicumque regno fidit et magna potens Dominatur aula nec leves metuit deos Animumque rebus credulum laetis dedit, Me videat et te: Troia: non umquam tulit Documenta fors maiora, quam fragili loco Starent superbi. columen eversum occidit Pollentis Asiae, caelitum egregius labor; . . . Pergamum incubuit sibi. En alta muri decora congesti iacent Tectis adustis; regiam flammae ambiunt Omnisque late fumat Assaraci domus. Non prohibet avidas flamma victoris manus: Diripitur ardens Troia“; et (Troad. 259/75): „quoque Fortuna altius Evexit ac levavit humanas opes, Hoc se magis supprimere felicem decet Variosque casus tremere metuentem deos Nimium faventes. magna momento obrui Vincendo didici. Troia nos tumidos facit Nimium ac feroces? stamus hoc Danai loco, Unde illa cecidit. fateor, aliquando impotens Regno ac superbus altius memet tuli; Sed fregit illos spiritus haec quae dare Potuisset aliis causa, Fortunae favor. Tu me superbum, Priame, tu timidum facis. Ego esse quicquam sceptra nisi vano putem Fulgore tectum nomen et falso comam Vinclo decentem? casus haec rapiet brevis, Nec mille forsan ratibus aut annis decem: Non omnibus fortuna tam lenta imminet“. Idem sane philosophus (cons. ad. Polyb. 11, 4): „quid dicam duces ducumque progeniem et multis aut consulatibus conspicuos aut triumphis sorte defunctos inexorabili? tota cum regibus regna populique cum gentibus tulere fatum suum“. Porro de fortuna belli (Phoen. 629/32): „Fortuna belli semper ancipiti in loco est Quodcumque Mars decernit; exaequat duos, Licet impares sint, gladius; et spes et metus Fors caeca versat“; (Agam. 799): „Victor timere quid potest? Quod non timet“. Ut haec belli fortuna, ita omnia, quae fallaci boni cuiusdam specie homines pelliciunt, sollicita atque incerta sunt (Agam. 87/100): „Licet arma vacent cessentque doli Sidunt ipso pondere magna Ceditque oneri Fortuna suo. Vela secundis inflata notis Ventos nimium timuere suos, Nubibus ipsis inserta caput Turris pluvio vapulat Austro, Densasque nemus spargens umbras Annosa videt robora frangi;

Feriunt celsos fulmina colles, Corpora morbis maiora patent, Et cum in pastus armenta vagos Vilia currant, Placet in vulnus maxima cervix"; (de brev. vitae 17, 4): „maxima quaeque bona sollicita sunt nec ulli fortunae minus bene quam optimae creditur: alia felicitate ad tuendam felicitatem opus est et pro ipsis, quae successere, votis vota facienda sunt. omne enim, quod fortuito obvenit, instabile est. quo altius surrexerit, opportunius est in occasum"; (Agam. 57/63): „O regnorum magnis fallax Fortuna bonis, in praecipiti Dubioque locas nimis excelsos; Numquam placidam sceptra quietem Certumve sui tenuere diem; Alia ex aliis cura fatigat Vexatque animos nova tempestas"; (Agam. 73/6): „Metui cupiunt metuique timent; Non nox illis alma recessus Praebet tutos, non curarum Somnus domitor pectora solvit". Cf. de brev. vitae 16, 5—17, 1: „diem noctis exspectatione perdunt, noctem lucis metu. Ipsae voluptates eorum trepidae et variis terroribus inquietae sunt subitque cum maxime exsultantis sollicita cogitatio: „haec quam diu?" Ab hoc affectu reges suam flevere potentiam. nec illos magnitudo fortunae suae delectavit, sed venturus aliquando finis exterruit"; (de brev. vitae 17, 3, 5): „quid, quod gaudia quoque eorum trepida sunt? non enim solidis causis innituntur, sed eadem, qua oriuntur, vanitate turbantur . . . operose adsequuntur, quae volunt; anxii tenent, quae adsecuti sunt. Nulla interim numquam amplius redituri temporis ratio est. novae occupationes veteribus substituuntur, spes spem excitat, ambitionem ambitio"; (Agam. 407a/413a): „Nam certa fari sors maris dubii vetat. Ut sparsa tumidum classis excepit mare, Ratis videre socia non potuit ratem. Quin ipse Atrides aequore immenso vagus Graviora pelago damna quam bello tulit Remeatque victo similis, exiguas trahens Lacerasque victor classe de tanta rates". Mare, ut hoc loco ipsa fortunae „manus" videtur, ita alicubi a poeta et philosopho cum fortuna incerta comparatur (Agam. 64/72): „Non sic Libycis syrtis aequor Furit alternos volvere fluctus, Non Euxini turget ab imis Commoda vadis Unda nivali vicina polo, Ubi caeruleis immunis aquis Lucida versat plaustra Bootes, Ut praecipites regum casus Fortuna rotat"; ita philosophus (l. l. ad Polyb. cons. 9, 6): „omnis vita supplicium est: in hoc profundum inquietumque proiecti mare, alternis aestibus reciprocum et modo adlevans nos subitis

incrementis, modo maioribus damnis deferens adsidueque iactans numquam stabili consistimus loco. pendemus et fluctuamur et alter in alterum inlidimur et aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso et in omnes tempestates exposito mari . . .“ Denique ut h. l. philosophus hanc commutationem fortunae fluxam atque instabilem vitae „dirum supplicium“ appellat, ita poeta quod perlevi fortunae momento pendeant, poenae loco esse institutam hominibus credit; Furia ex inferis pronuntiat Thy. 32/6: „superbis fratribus regna excidant Repetantque profugos; dubia violentae domus Fortuna reges inter incertos labet: Miser ex potente fiat, ex misero potens Fluctuque regnum casus adsiduo ferat.“

Inde hanc in rationem poeta pervenit (Thy. 446/54): „Mihi crede, falsis magna nominibus placent, Frustra timentur dura, dum excelsus steti, Numquam pavere destiti, atque ipsum mei Ferrum timere lateris. o quantum bonum est Obstare nulli, capere securas dapes Humi iacentem! scelera non intrant casas Tutusque mensa capitur angusta cibus; Venenum in auro bibitur — expertus loquor: Malam bonae praeferre fortunam licet“. Philosophus item divitias et exilium expertus verbis, quae quemvis quidem ignotum loquentem fingit, idem profitetur; haec sunt ipsius verba (de v. beata 2, 3sq.): „quicquid feci adhuc, infectum esse mallem. quicquid dixi cum recogito, mutis invideo. quicquid optavi inimicorum exsecrationem puto. quicquid timui, di boni, quanto levius fuit quam quod concupivi? . . . omnem operam dedi, ut me multitudini educerem et aliqua dote notabilem facerem: quid aliud quam telis me opposui et malivolentiae quod morderet ostendi? vides istos qui eloquentiam laudant, qui opes sequuntur, qui gratiae adulantur, qui potentiam extollunt? omnes aut sunt hostes aut, quod in aequo est, esse possunt. quam magnus mirantium, tam magnus invidentium populus est: quin potius quaero aliquod usu bonum, quod sentiam, non quod ostendam: ista quae spectantur, ad quae consistitur, quae alter alteri stupens monstrat, foris nitent, introrsus misera sunt“. Optime his philosophi verbis poeta respondet (Thy. 39/403): „Stet quicumque volet potens Aulae culmine lubrico: Me dulcis saturet quies; Obscuro positus loco Leni perfruar otio Nullis nota Quiritibus, Aetas per tacitum fluat. Sic cum transierint mei Nullo cum strepitu dies, Plebeius

moriar senex Illi mors gravis incubat Qui notus nimis omnibus, Ignotus moritur sibi". Profecto nonne unus et idem haec et illa verba dixisse tibi videtur? Sed penitus in poetae sensum inquiramus hos versus legentes (Th. 934/46): Proprium hoc miseros sequitur vitium, Numquam rebus credere laetis: Redeat felix fortuna licet, Tamen afflictos gaudere piget. Quid me revocas festumque vetas, Celebrare diem, quid flere iubes, Nulla surgens dolor ex causa? Quid me prohibes flore decenti Vincire comam? prohibet, prohibet!" Si hos versus legerit, quis scilicet dubitabit, quin ipsi poetae hoc contigerit, cum non nisi ipse ex altissimo auctoritatis gradu in extremas exilii miserias praecipitatus tam aptissime de tali miserorum sensu iudicet. Nec profecto e Romanorum numero quemquam invenias, qui tam plane honoribus divitiisque tristi animo arrideat, qui tam diligenter cognoverit talis miseri animum, ut tam sagaciter, ne „versute" dicamus, scripserit: „Proprium hoc miseros sequitur vitium Numquam rebus credere laetis, attamen: Quid me revocas festumque vetas Celebrare diem, quid flere iubes, Nulla surgens dolor ex causa?" neminem puto auctorem invenias nisi Annaeum philosophum. Item (Thy. 536/7): „Quis influentis dona fortunae abnuit? Expertus est quicumque quam facile effluant"; de divitiis et paupertate haec exponit (Thy. 455/70): „Non vertice alti montis impositam domum Et eminentem civitas humilis tremit Nec fulget altis splendidum tectis ebur. Somnosque non defendit excubitor meos; Non classibus piscamur et retro mare Iacta fugamus mole nec ventrem improbum Alimus tributo gentium, nullus mihi Ultra Getas metatur et Parthos ager; Non ture colimur et meae excluso Iove Ornantur arae; nulla culminibus meis Imposita nutat silva nec fumant manu Succensa multa stagna nec somno dies Bacchoque nox iungenda pervigili datur: Sed non timemur, tuta sine telo est domus Rebusque parvis magna praestatur quies — Immane regnum est posse sine regno pati"; ac philosophus de se ipso profitetur in exilio versatus (ad Helv. 10, 2, 3 sqq.): „quod ad me quidem pertinet, intellego me non opes, sed occupationes perdidisse. corporis exigua desideria sunt: frigus submoveri vult, alimentis famem ac sitim exstinguere. quicquid extra concupiscitur, vitiis non usibus laboratur. Non est necesse omne perscrutari profundum nec strage animalium ventrem onerare nec conchylia ultimi

maris ex ignoto litore eruere: di istos deaeque perdant, quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transscendit. . . .“ (H. fu. 160/74): „Haec, innocuae quibus est vitae Tranquilla quies Et laeta suo parvoque domus; Spes immanis Urbibus errant trepidique metus. Ille superbos aditus regum Durasque fores expers somni Colit, hic nullo fine beatas Componit opes gazis inhans Et congesto pauper in auro. Illum populi favor attonitum Fluctuque magis mobile vulgus Aura tumidum tollit inani Hic clamosi rabiosa fori Iurgia vendens; Improbus iras et verba locat“. Simillime philosophus ad Polybium divitiarum aulaeque constrictum scripsit (ad Polyb. 6, 4): „Tibi . . . hoc tantummodo non licet, ne somnum quidem extendere in partem diei licet aut a tumultu rerum in otium ruris quieti confugere aut adsidua laboriosi officii statione fatigatum corpus peregrinatione recreare aut spectaculorum varietate animum detinere aut tuo arbitrio diem disponere. Multa tibi non licent, quae humillimis et in angulo iacentibus licent. Magna servitus est magna fortuna. Non licet tibis quicquam arbitrio tuo facere: audienda sunt tot hominum milia. . . .“ Ac consentaneis sane verbis poeta pergat h. l. (H. Oet. 604 sqq.): „Tu quicumque es qui sceptra tenes Licet omne tua vulgus in aula Centum pariter limina pulset: Quam tot populis stipatus eas In tot populis vix una fides. Tenet auratum limen Erinys Et quom magnae patuere fores, Intrant fraudes cautique doli Ferrumque latens; cumque in populos Prodire paras, comes invidia est . . . Pauci reges, non regna colunt: Plures fulgor concitat aulae. . . .“ Item philosophus (de benef. VI, 31): „cum bellum Graeciae indiceret Xerxes, animum tumentem oblitumque quam caducis confideret nemo non impulit. Alius aiebat non laturos nuntium belli et ad primam adventus famam terga versuros. alius nihil esse dubii, quin illa mole non vinci solum Graecia, sed obrui posset; . . . alius vix illi rerum naturam sufficere, angusta esse classibus maria, militi castra, explicandis equestribus copiis campestria, vix patere caelum satis ad emittenda omni manu tela. Cum in hunc modum multa undique iactarentur, quae hominem nimia aestimatione sui furentem concitarent, Demaratus Lacedaemonius solus dixit: ipsam illam qua sibi placeret, multitudinem indigestam et gravem metuendam esse ducenti: non enim vires habere, sed pontus.“ Quicumque hunc philosophi locum perlegerit, crediturum esse

eum arbitror poetam, qui illum versum (H. Oet. 608): „In tot populis vix una fides" composuit, hunc Demaratum solum ex omnium numero fidum in animo habuisse; porro cf. Agam. 285: „Non intrat umquam regium limen fides;" Thy. 211/12: „Laus vera et humili saepe contingit viro, Non nisi potenti falsa;" Thy. 207/8: „. . . quos cogit metus Laudare, eosdem reddit inimicos metus;" utique philosophus de benef. VI, 30, 3: „omnia sane excluserit opulenta felicitas, monstrabo tibi, cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit: scilicet ille, qui verum dicat et hominem inter mentientes stupentem ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum vindicet a consensu concentuque falsorum. Non vides, quemadmodum illos in praeceps agat exstincta libertas et fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque, sed adulandi certamen est, quis blandissime fallat". Inde rectissime Thyestes, qui in dubio haeret (Thy. 424/7): „. . . rebus incertissimis Fratri atque regno, credis ac metuis mala Iam victa, iam mansueta et aerumnas fugis Bene collocatas? esse iam miserum iuvat. Reflecte gressum, dum licet, teque eripe"; idemque chorus pronuntiat in Herc. Oet. fab. (H. Oet. 644sq.): „— Caespes Tyrio mollior ostro Solet impavidos ducere somnos Aurea rumpunt tecta quietem Vigilesque trahit purpura noctes. O si pateant pectora ditum! Quantos intus sublimis agit Fortuna metus! Bruttia Coro Pulsante fretum lenior unda est;[1]) Pectora pauper secura gerit. Tenet e patula pocula fago, Sed non trepida tenet illa manu; Carpit faciles vilesque cibos, Sed non strictos respicit enses: Aurea miscet pocula sanguis"; ibidem (692/99): „Felix alius magnusque sonet; Me nulla vocet turba potentem. Stringat tenuis litora puppis Nec magna meas aura phaselos Iubeat medium scindere pontum: Transit tutos Fortuna sinus Medioque rates quaerit in alto Quarum feriunt sipara nubes".

Quibus omnibus locis, ut divitiae reiciantur ac paupertas potius assumatur, philosophus et poeta admonent. Quid autem? Estne revera id, quod Nisardus putat, ut extrema penuria et

---

[1]) ad hos quattuor versus afferatur de brev. 2, 3: „Numquam illis recurrere ad se licet. si quando aliqua fortuito quies contigit, veluti profundo mari, in quo post ventum quoque volutatio est, fluctuantur ac numquam illis a cupiditatibus suis otium instat.

egestas, quae quam maxime divitiis opponatur, ab auctore sive ab hoc vel ab illo probetur? Minime; neque enim haec quae h. l. sequuntur testimonia neglegenda sunt (ep. 2, 6): „Hodiernum hoc est, quod apud Epicurum nanctus sum . . .: „Honesta, inquit, res est laeta paupertas.“ Id vero non est paupertas, si laeta est: cui cum paupertate bene convenit, dives est. non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum pascat, quantum feneret, si alieno imminet, si non adquisita, sed adquirenda conputat? Quis sit divitiarum modus, quaeris: primus, habere quod necesse est, proximus, quod sat est“; Herc. Oet. 675/91[1]): „Quisquis medium defugit iter Stabili numquam tramite currit: Dum petit unum praebere diem Patrioque puer constitit axe. Nec per solitum decurrit iter, Sed Phoebeis ignota petens Sidera flammis errante rota, Secum pariter perdidit orbem. Medium caeli dum sulcat iter, Tenuit placitas Daedalus oras Nullique dedit nomina ponto: Sed dum volucres vincere veras Icarus audet Patriasque puer despicit alas Phoeboque volat proximus ipsi, Dedit ignoto nomina ponto: Male pensantur magna ruinis. Felix alius magnusque sonet; Me nulla vocet turba potentem; philosophus ep. 87, 40: „ego non video, quid aliud sit paupertas quam parvi possessio“; item ep. 49, 12: „de iustitia mihi, de pietate disputa, de frugalitate, de pudicitia . . .“; ep. 58, 32: „potest frugalitas producere senectutem, quam ut non puto concupiscendam, ita ne recusandam quidem“; item ep. 17, 5: „paupertas contenta est desideriis instantibus satisfacere. quid est ergo, quare hanc recuses contubernalem, cuius mores sanus dives imitatur? si vis vacare animo, aut pauper sis oportet aut pauperi similis. non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura: frugalitas autem paupertas voluntaria est“; prorsus consentit poeta (Phaed. 204/215): „Quisquis secundis rebus exultat nimis Fluitque luxu, semper

---

[1]) Senecam philosophum quoque tales mythos, quales Ovidius in metamorphosibus quae appellantur tractavit, promptissime secum in animo volvisse atque exercuisse plurimis demonstratur ex Ovidii libris locis citatis, quos Frid. Haasius in indice editioni suae addito enumeravit; ceterum inter hoc omissum esse hunc locum animadvertimus: de prov. 5, 10 = Ovid. met. II, 94 sq.

insolita appetit. Tunc illa magnae dira fortunae comes Subit libido: non placent suetae dapes, Non tecta sani moris aut vilis scyphus. Cur in penates rarius tenues subit Haec delicatas eligens pestis domos? Cur sancta parvis habitat in tectis Venus Mediumque sanos vulgus affectus tenet Et se coercent modica? contra divites Regnoque fulti plura quam fas est petunt"; denique ep. 23, 6: „ita dico: in praecipiti voluptas: ad dolorem vergit, nisi modum teneat. modum autem tenere in eo difficile est, quod bonum esse credideris. veri boni aviditas tuta est. Quid sit istud, interrogas, aut unde subeat? Dicam: ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitae et continuo tenore unam prementis viam."

Nil ergo petatur uterque auctor vult nisi hoc, ut sana ratio voluptates coërceat neu homines moderatione et mediocritate se erumpant. Inde paupertas probatur, quod „modum tenere in eo difficile est, quod bonum esse credideris"; sed ipse philosophus pergat his verbis (ep. 20, 10): „quid ergo? non licet divitias in sinu positas contemnere? quidni liceat? et ille ingentis animi est, qui illas circumfusas sibi, multum diuque miratus, quod ad se venerint, ridet suasque audit magis esse quam sentit. Multum est non corrumpi divitiarum contubernio. magnus ille, qui in divitiis pauper est. „Nescio, inquis, quomodo paupertatem iste laturus sit, si in illam inciderit". nec ego, Epicuri an aemulus iste pauper contempturus sit divitias, si in illas inciderit; itaque in utroque mens aestimanda est inspiciendumque, an ille paupertati indulgeat an hic divitiis non indulgeat. alioquin leve argumentum est bonae voluntatis grabatus aut pannus, nisi apparuit aliquem illa non necessitate pati, sed malle"; atque hoc rationis summum et caput est (ep. 36, 6): „in mores fortuna ius non habet. hos disponat, ut quam tranquillissimus ille animus ad perfectum veniat, qui nec ablatum sibi quicquam sentit nec adiectum, sed in eodem habitu est, quomodocumque res cadunt. cui sive adgeruntur volgaria bona, supra res suas eminet sive aliquid ex istis vel omnia casus excussit, minor non fit"; de vita beata 11, 1: „non voco autem sapientem, supra quem quicquam est"; ep. 56, 13: „prior ille sapiens est, quem non tela vibrantia, non arietata inter se arma agminis densi, non urbis inpulsae fragor territat".

Plane ita poeta dicit (Thy. 927/33): „Magnum, ex alto culmine lapsum Stabile in plano figere gressum; Magnum, ingenti strage malorum Pressum fracti pondera regni Non inflexa cervice pati Nec degenerem victumque malis Rectum impositas ferre ruinas". Atreus ita exponit, quo quam maxime sceleratus videatur frater (Thy. 196/99): „. . . et quid esse tam saevum potest Quod superet illum? numquid abiectus iacet? Numquid secundis patitur in rebus modum, Fessis quietem?" item poeta animum Clytaemestrae nefarium depingit (Agam. 144/5): „Clyt.: Ubi animus errat optimum est casum sequi. Nutr.: Caeca est temeritas quae petit casum ducem." Optime denuo chorus poetae sententiae favet (Thy. 339/52): „Quis vos exagitat furor Aeternis dare sanguinem Et sceptrum scelere aggredi? Nescitis, cupidi arcium, Regnum quo iaceat loco. Regem non faciunt opes, Non vestis Tyriae color, Non frontis nota regiae, Non auro nitidae trabes: Rex est qui posuit metus Et diri mala pectoris Quem non ambitio impotens Et numquam stabilis favor Vulgi praecipitis movet"; et ibidem 369/390: „Reges conveniant licet Qui sparsos agitant Dahas, Qui rubri vada litoris Et gemmis mare lucidis Late sanguineum tenent, Aut qui Caspia fortibus Recludunt iuga Sarmatis, Certet Danuvii vadum Audet qui pedes ingredi Et (quocumque loco iacent) Seres vellere nobiles: Nil ullis opus est equis, Nil armis et inertibus Telis quae procul ingerit Parthus, cum simulat fugas, Admotis nihil est opus Urbes sternere machinis, Longe saxa rotantibus. Mens regnum bona possidet. [Rex est qui metuit nihil Rex est qui cupiet nihil.] Hoc regnum sibi quisque dat"; Thy. 470: „Immane regnum est posse sine regno pati"; de benef. III, 37, 3: „Antigonus cum ingenti proelio superasset hostem, praemium belli ad patrem transtulit et imperium illi Cypri tradidit. hoc est regnum, nolle regnare, cum possis"; ep. 87, 21: „Quis sit summi boni locus quaeris? Animus!" Facile enim fit, ut mores divitiis varia in pericula incidant (ad Helv. 10, 11): „haec accidunt divitias non ad rationem revocantibus, cuius certi fines sunt, sed ad vitiosam consuetudinem, cuius immensum et inconprehensibile arbitrium est". Phaedr. 136/7: „Nec me fugit, quam durus et veri insolens Ad recta flecti regius nolit tumor"; et Atreus nefarius ille (Thy. 205 sq.): „maximum hoc regni bonum est Quod facta

domini cogitur populus sui Tam ferre quam laudare. (Satelles:) Quos cogit metus Laudare eosdem reddit inimicos metus; Atqui favoris gloriam veri petit, Animo magis quam voce laudari volet"; item Atreus 214/8: „Ubicumque tantum honesta dominanti licent Precario regnatur. (Sat.:) Ubi non est pudor Nec cura iuris sanctitas pietas fides Instabile regnum est. (Atr.:) Sanctitas pietas fides Privata bona sunt, qua iuvat reges eant"; de clem. I, 5, 2: „est ergo ut dicebam, clementia omnibus quidem hominibus secundum naturam, maxime tamen decora imperatoribus, quanto plus habet apud illos, quod servet, quantoque in maiore materia apparet. Quantulum enim nocet privata crudelitas? Principum saevitia bellum est". Huc insuper accedit, quod (Agam. 148): „Perlucet omne regiae vitium domus"; de clem. I, 8, 3—4: „est haec summae magnitudinis servitus non posse fieri minorem. sed cum dis tibi communis ipsa necessitas est. nam illos quoque caelum adligatos tenet nec magis illis descendere datum est quam tibi tutum. fastigio tuo affixus es. nostros motus pauci sentiunt. prodire nobis ac recedere et mutare habitum sine sensu publico licet: tibi non magis quam soli latere contingit. multa contra te lux est. omnium in istam conversi oculi sunt". Ibid. 1, 1: „nam si, quod adhuc colligitur, tu animus rei publicae tuae es, illa corpus tuum, vides, ut puto, quam necessaria clementia sit: tibi enim parcis, cum videris alteri parcere"; Troad. 332: „Praeferre patriam liberis regem decet"; ibid. 695/7: „... quoque te celsum altius Superi levarunt, mitius lapsos preme: Misero datur quodcumque, fortunae datur"; de clem. I, 19, 1: „excogitare nemo quicquam poterit, quod magis decorum regenti sit quam clementia, quocumque modo is et quocumque iure praepositus ceteris erit. eo scilicet formosius id esse magnificentiusque fatebitur, quo in maiori praestabitur potestate". Itaque H. Oet. 1560/63: „Parcite, o dites, inhibete dextras: Laudis est purum tenuisse ferrum, Cumque regnabas, minus in procellis In tuas urbes licuisse fatis"; id enim reges secum volvant (de clem. I, 7, 1): „optime hoc exemplum principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse civibus quales sibi deos velit. Expedit ergo habere inexorabilia peccatis atque erroribus numina? expedit usque ad ultimam infesta perniciem? et quis regum erit tutus, cuius non membra haruspices colligant? Quodsi di placabiles et aequi delicta potentium non statim

fulminibus persequuntur, quanto aequius est hominem hominibus praepositum miti animo exercere imperium?“ cf. Thy. 607/22: „Vos quibus rector maris atque terrae Ius dedit magnum necis atque vitae, Ponite inflatos tumidosque vultus: Quicquid a vobis minor expavescit, Maior hoc vobis dominus minatur; Omne sub regno graviore regnum est. Quem dies vidit veniens superbum, Hunc dies vidit fugiens iacentem. Nemo confidat nimium secundis, Nemo desperet meliora lassis: Miscet haec illis prohibetque Clotho Stare Fortunam, rotat omne fatum. Nemo tam divos habuit faventes, Crastinum ut posset sibi polliceri: Res deus nostras celeri citatas Turbine versat.“

Statim, ubi hos versus perlegeris, cognosces eis quandam inesse tristitiam, qua de fortunae crudelitate poeta queritur; tamen huiusmodi exempla, quae supra attulimus, ab his verbis differunt, cum illis secundas res, licet quam maxime blandiantur, fluxas esse atque incertissimas, his totam insuper vitam, corpus hominis cum omni pulchritudine non magis constans esse poeta sibi confiteatur; cf. ad Marc. 11, 1 sqq.: „quid opus est partes deflere? tota flebilis vita est. urgebunt nova incommoda, priusquam veteribus satisfeceris. moderandum est itaque vobis maxime, quae inmoderate fertis, et in metus et in dolores humani pectoris dispensandae. Quae deinde ista suae publicaeque condicionis oblivio est? Mortalis nata es, mortales peperisti. putre ipsa fluidumque corpus et causis repetita sperasti tam imbecilla materia solida et aeterna gestasse? . . . (3) quid est homo? imbecillum corpus et fragile, nudum, suapte natura inerme, alienae opis indigens, ad omnis fortunae contumelias proiectum, . . . ex infirmis fluidisque contextum et lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, aestus, laboris inpatiens . . . etc.“; H. Oet. 380/90: „Ut alta silvas forma vernantes habet Quas nemore nudo primus investit tepor, At cum solutos expulit Boreas Notos Et saeva totas bruma discussit comas, Deforme solis aspicis truncis nemus: Sic nostra longum forma percurrens iter Deperdit aliquid semper et fulget minus Nec illa vetus est. quicquid in nobis fuit Olim petitum cecidit aut pariter labat. Aetas citato senior eripuit gradu“; Phaedr. 761/72: „Anceps forma bonum mortalibus, Exigui donum breve temporis, Ut velox celeri pede laberis! Non sic prata novo vere decentia Aestatis calidae despoliat vapor, Saevit solstitio cum medius dies Et noctes

brevibus praecipitant rotis Languescunt folio et lilia pallido: Ut gratae capiti deficiunt comae Et fulgor teneris qui radiat genis Momento rapitur nullaque non dies Formonsi spolium corporis abstulit"; ad Marc. 10: „quidquid est hoc, Marcia, quod circa nos ex adventicio fulget, liberi, honores, opes ampla atria et exclusorum clientium turba referta vestibula, clara nobilis aut formosa coniux ceteraque ex incerta et mobili sorte pendentia alieni commodatique adparatus sunt. nihil horum dono datur: collaticiis et ad dominos redituris instrumentis scena adornatur. alia ex his primo die, alia secundo referentur, pauca usque ad finem perseverabunt. . . . quicquid a fortuna datum est, tamquam exemptum auctore possideas. Rapite ex liberis voluptates, fruendos hos invicem liberis date et sine dilatione omne gaudium haurite. nihil de hodierna nocte promittitur. nimis magnam advocationem dedi: nihil de hac hora. festinandum est. instatur a tergo. iam disicietur iste comitatus, iam contubernia ista sublato clamore solventur, rapina rerum omnium est: miseri nescitis fuga vivere". At estne revera idem Annaeus Seneca philosophus, aliquis fortasse nobis occurrat? Nimirum, respondemus, idem, qui non nisi extrema paupertate vel egestate, ut Nisardus dicit, homines felicitatem adepturos esse haudquaquam arbitratus potius id unum agendum esse intellexit, ut crudelitati rerum adversarum sive fraudi secundarum occurratur; idem, qui non solum in suorum magistrorum verba iurare vetuit, sed etiam de se ipso saepius confessus est (ep. 2, 4): „aliquid cotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxilii conpara, nec minus adversus ceteras pestes. et cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas. Hoc ipse quoque facio: ex pluribus, quae legi, aliquid adprehendo. Hodiernum hoc est, quod apud Epicurum nanctus sum: — soleo enim et in aliena castra transire, non tamquam transfuga, sed tamquam explorator — Honesta, inquit, res est laeta paupertas", et ep. 17, 11: „quid istic? ab Epicuro mutuum sumam!" et ep. 97, 13: „eleganter itaque ab Epicuro dictum puto . . ."; idem utique Annaeus Seneca, cuius in pectus statim infra penitus inquiramus. Ac poeta eandem in rationem plane persequitur (H. f. 175 182): Novit paucos secura quies, Qui velocis memores aevi Tempora numquam reditura tenent. Dum fata sinunt, vivite laeti: Properat cursu vita citato Volucrique

die Rota praecipitis vertitur anni; Durae peragunt pensa sorores Nec sua retro fila revolvunt". Porro ad Polyb. 11, 3: „omnes huic rei tollimur; quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur. Gaudeamus eo, quod dabitur, reddamusque id, cum reposcemur. alium alio tempore fata comprehendent, neminem praeteribunt. in procinctu stet animus et id, quod necesse est numquam timeat, quod incertum est, semper exspectet"; sed ne omittamus illa, quibus verbis apertum Annaei pectus videmus (de v. beata 21): „qua re ille philosophiae studiosus est et tamen dives vitam agit? quare opes contemnendas dicit et habet? vitam contemnendam putat et tamen vivit? valetudinem contemnendam et tamen illam diligentissime tuetur atque optimam mavult? . . . Ait ista debere contemni, non, ne habeat, sed ne sollicitus habeat. non abigit illa a se, sed abeuntia securus prosequitur. Divitias quidem ubi tutius fortuna deponet quam ibi, unde sine querela reddentis receptura est?" Sed quid? cur sapiens secundas res divitiasque non spernet? cf. de v. b. 21, 4: „et, si maiores illi obvenissent opes, non sprevisset. nec enim se sapiens indignum ullis muneribus fortuitis putat; non amat divitias, sed mavult"; ibid. 23: „Desine ergo philosophis pecunia interdicere: nemo sapientiam paupertate damnavit. . . . (4) nec, ut dixi, eiciet illas e domo. quid enim dicet? utrumne ‚inutiles estis' an ‚ego uti divitiis nescio'? quemadmodum etiam pedibus suis poterit iter conficere, escendere tamen vehiculum malet: sic pauper, si potuerit esse dives, volet, et habebit itaque opes, sed tamquam leves et avolaturas"; cf. Phaed. 440/43: Quem fata cogunt, ille cum venia est miser; At si quis ultro se malis offert volens Seque ipse torquet, perdere est dignus bona Quis nescit uti". De brev. v. 9, 1: „quo spectas, quo te extendis? omnia quae ventura sunt, in incerto iacent: protinus vive. Clamat ecce maximus vates et velut divino ore instinctus salutare carmen canit: ‚Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi Prima fugit'. Quid cunctaris, inquit, quid cessas? nisi occupas fugit et cum occupaveris tamen fugiet. itaque cum celeritate temporis utendi velocitate certandum est et velut ex torrenti rapido nec semper ituro cito hauriendum"; ep. 108, 25: „ille, qui ad philosophiam spectat, haec eadem, quo debet, adducit: numquam Vergilius, inquit, dies dicit ire, sed fugere, quod currendi genus concitatissimum est, et optimos quosque primos rapi: quid ergo

cessamus nos ipsi concitare, ut velocitatem rapidissimae rei possimus aequare? meliora praetervolant, deteriora succedunt: quemadmodum ex amphora primum quod est sincerissimum effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidit, sic in aetate nostra quod est optimum, in primo est. id exhauriri aliis potius patimur, ut nobis faecem reservemus? Inhaereat istud animo et tamquam missum oraculo placeat: ‚Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi Prima fugit‘. quare optima? quia quod restat incertum est. quare optima? quia iuvenes possumus discere, possumus facilem animum et adhuc tractabilem ad meliora convertere. quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studia ingeniis et exercendis per opera corporibus: quid superest, segnius et languidius est et propius a fine . . .“ Ita suapte ingenii intentione ostentationeque quaquam absente illa tristitia, qua ut constanter se gerat sancteque admonetur, in philosophi animum subrepsit; ac, ne iam mireris, eadem poetae pectore inest (Phaedr. 771/76): „nullaque non dies Formonsi spolium corporis abstulit. Res est forma fugax: quis sapiens bono Confidat fragili? dum licet, utere. Tempus te tacitum subruit, horaque Semper praeterita deterior subit“; Oed. 817/8: „prima languescit senum Memoria longo lassa sublabens situ“; ep. 108, 28: „haec non cogitat ille (i. e. philosophus!), qui grammatici oculis carmen istud legit, ideo optimum quemque primum esse diem, quia subeunt morbi, quia senectus premit et adhuc adulescentiam cogitantibus supra caput est, sed ait Vergilium semper una ponere ‚morbos et senectutem‘: non mehercules inmerito. senectus enim insanabilis morbus est. Praeterea, inquit, hoc senectuti cognomen inposuit, ‚tristem‘ illam vocat: ‚Subeunt morbi tristisque senectus‘; alio loco dicit: Pallentesque habitant morbi tristisque senectus“. cf. Phaedr. 451/3: „. . . propria descripsit deus Officium et aevum per suos duxit gradus: laetitia iuvenem, frons decet tristis senem“; eundem praebet sensum ep. 68, 13—14: „haec aetas (i. e. senectus) optime facit ad haec studia: iam despumavit. iam vitia primo fervore adulescentiae indomita lassavit: non multum superest, ut exstinguat. . . . Non est, . . . quod existimes ullam aetatem aptiorem esse ad bonam mentem quam quae se multis experimentis, longa ac frequenti rerum poenitentia edomuit, quae ad salutaria mitigatis affectibus venit. hoc

est huius boni tempus: quisquis senex ad sapientiam pervenit, annis pervenit"; porro de brev. v. 9, 4: „non dubium est ergo, quin prima quaeque optima dies fugiat mortalibus miseris, id est occupatis; quorum pueriles adhuc animos senectus opprimit, ad quam inparati inermesque perveniunt. nihil enim provisum est: subito in illam necopinantes inciderunt. accedere eam cotidie non sentiebant". Eaedem porro sententiae eademque quidem adiunctione, qua apud poetam Phaedr. 773 sqq. continuantur, inter se attexuntur apud philosophum

ep. 46, 10: „non enim statim est bonum si quid necessarium est: aut proicimus bonum, si hoc nomen pani et polentae damus et ceteris, sine quibus vita non ducitur. Quod bonum est, utique necessarium est. quod necessarium est, non utique bonum est, quoniam quidem necessaria sunt quaedam, eadem vilissima. nemo usque eo dignitatem boni ignorat, ut illud ad haec in diem utilia demittat. Quid ergo?"	quorum sensus verborum oxymoro contextus acumine praebetur (eadem optima ratione, qua utique poeta illis ancipitibus verbis uti amat velut Phaedr. 761: „anceps forma bonum", Thy. 938/40: „Proprium hoc miseros sequitur vitium Numquam rebus credere laetis", Agam. 589: „dulce malum, aliisque locis") Phaed. 773/4: „bono fragili".
ep. 45, 12: „non eo potius curam transferes ut ostendas omnibus magno temporis impendio quaeri supervacua et multos transisse vitam, dum vitae instrumenta conquirunt?[1]) recognosce singulos, considera universos: nullius non vita spectat in crastinum; quid in hoc sit mali quaeris? infinitum!	„... Quis sapiens bono Confidat fragili?"
non enim vivunt, sed victuri sunt; omnia differunt.	Vive nunc, dum licet vel: „Dum licet utere!"

[1]) ad haec verba: „multos transisse vitam, dum vitae instrumenta conquirunt" cf. eandem poetae rationem sentiendi (Oed. 993/4): „multi ad fatum Venere suum, dum fata timent".

Etiamsi adtenderemus, tamen nos vita praecurreret: nunc vero cunctantes quasi aliena transcurrit et ultimo die finitur, omni perit.

„Tempus te tacitum subruit, horaque Semper praeterita deterior subit.“

Profecto quidem, unde talis sententiarum concentus mirus, nisi unus auctor ex intimo pectore hausit! sed ultro adiciamus hoc: neque enim philosophus, cum sapientem divitias possidere permiserit, id extremos terminos philosophorum quibus indulget placitorum propemodum attingere ignorat, quoniam exemplis, ne modum excedant, homines admoneat. Poeta autem, qui si compilator e philosophi scriptis sententiam mutuatus esset, his lubricis locis quam diligentissime exemplum subsecutus esset, sententiis suo arbitrio, quemadmodum forte contextus fabulae ferat, tamen rectissime utitur; velut nutrix, ista lena anus quae est, initio quidem sinceris Annaeanis placitis Hippolytum callide allectat, tum vero furtim sensu omnino depravato ac corrupto pellicit (Phaedra 440 sq.): „Quem fata cogunt ille cum venia est miser Ac si quis ultro se malis offert volens Seque ipse torquet, perdere est dignus bona Quis nescit uti“. Tum autem pergit: „potius annorum memor Mentem relaxa: noctibus festis facem Attolle, curas Bacchus exoneret graves; Aetate fruere: mobili cursu fugit. Nunc facile pectus, grata nunc iuveni Venus: Exultet animus. cur toro viduo iaces? Tristem iuventam solve; nunc cursus rape, Effunde habenas, optimos vitae dies Effluere prohibe.“ Neque enim iam, ut utatur, sed ut fruatur optimis diebus, illa malo dolo illicit; ceterum hoc loco illi „optimi dies“, quos e Vergilianis libris excerptos philosopho semper ante oculos versari supra exposuimus, in poetae mentem per se veniunt. Hoc igitur philosophiae artificio poeta nefariam qualem esse vult nutricem sagacissime depingit; iuxta ac si philosophus inimicos suos his verbis petitos atque in risum versos (de v. beata 20 et 21): „gemite et infelicem linguam bonorum exercete convicio, hiscite, conmordete: citius multo frangetis dentes quam inprimetis: quare ille philosophiae studiosus est et tamen dives vitam agit? quare opes contemnendas dicit et habet? . . . nec ulli alii nec sibi graves esse patietur. Quid? donabit? erexistis aures. quid expeditis sinum? donabit aut bonis aut eis, quos facere poterit bonos“ egregie depingit, quales placita sua perverse accepta in deterius trahant.

Sed ne forte ab eo, quod nobis proposuimus, digrediamur: id unum ubique verbis interlucet summum hominibus supplicium esse vitam; idque inprimis hac de causa, quod omnia fluxa fragiliaque sint, maxime vero homo ipse (Troad. 400): „Tempus nos avidum devorat et chaos“; de brev. v. 8, 5: „nemo restituet annos, nemo iterum te tibi reddet. ibit qua coepit aetas nec cursum suum aut revocabit aut supprimet. nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis suae: tacita labetur. non illa se regis imperio, non favore populi longius proferet: sicut missa est a primo die, curret. nusquam devertetur, nusquam remorabitur“; H. f. 873/4: „mors: . . . Sis licet segnis, properamus ipsi: Prima quae vitam dedit hora, carpit“; ep. 24, 20: „cotidie morimur, cotidie enim demitur aliqua pars vitae et tunc quoque, cum crescimus, vita decrescit. infantiam amisimus deinde pueritiam, deinde adulescentiam; usque ad hesternum, quicquid transit temporis, periit: hunc ipsum, quem agimus, diem cum morte dividimus. quem admodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit, sic ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat: tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus“. Quibus ex omnibus quae attulimus exemplis non solum bona iucundaque, si singula vitae respiciamus, commutatione ac velocitate temporum dilabi et in nihilum recidere, sed utique „vivere“ nil nisi „mori“ esse apparet. Inde uterque auctor, cum mortem primam fati causam simulque finem i. e. ipsum fatum esse intellexerit, pro mortis nomine saepius fati utitur (H. fu. 865/7): „Nemo ad id sero venit, unde numquam Cum semel venit, potuit reverti; Quid iuvat durum properare fatum?“ ad Polyb. 11, 4: „tota cum regibus regna populique cum gentibus tulere fatum suum: omnes immo omnia in ultimum diem spectant“; porro ibid. 1, 4; alicubi. Sed in morte, quaeris, quid mali, cum philosophi Stoicam sectam sequentes *ἀδιάφορον* esse mortem putaverint? nec tamen satis Annaeus Seneca philosophus nec satis tragoediarum poeta mortis metu carent: id quidem haud neglegendum est, quod mortis horrorem hominum diligentius penitusque perspiciunt ac, qualis sit hic timor, nimium sentiunt. Hoc iam his exemplis interlucet (ep. 49, 9): „non vaco ad istas ineptias: ingens negotium in manibus est. quid agam? mors me sequitur, fugit vita: adversus haec me doce aliquid. effice ut

ego mortem non fugiam, vita me non fugiat. exhortare adversus difficilia, [de aequanimitate] adversus inevitabilia"; Agam. 589: „Heu quam dulce malum mortalibus additum Vitae dirus amor, cum . . . miseros mors . . . vocet"; cf. ep. 26, 10: „una est catena, quae nos adligatos tenet, amor vitae". Nam fatum ut alios ante tempus rapit, ita alios omnibus rebus adversis coacervatis mortem concupiscentes diu praeterit (ad. Polyb. 11, 4): „non idem universis finis est: alium in medio cursu vita deserit, alium in ipso aditu relinquit, alium in extrema senectute fatigatum iam et exire cupientem vix emittit"; H. Oet. 122: „Felices sequeris, mors, miseros fugis"; Troad. 954: „Prima mors miseros fugit"; simul autem Troad. 952: „Quam tenuis anima vinculo pendet levi"; Phaedr. 475/6: „Quam varia leti genera mortalem trahunt Carpuntque turbam: pontus et ferrum et doli!" cf. ep. 49, 11: „erras si in navigatione tantum existimas minimum esse, quo [a] morte vita deducitur: in omni loco aeque intervallum est. non ubique se mors tam prope ostendit: ubique tam prope est. Has tenebras discute!"

Si perdiligenter haec quae extrema philosophus confitetur verba intellexerimus, sollicitato h. l. inferorum tenebrae ob oculos versari facile e dicendi ratione coniciemus. Nonnumquam vere his inferorum tenebris eum angi manifestum est hoc testimonio (ep. 82, 15): „naturalis praeterea tenebrarum metus est, in quas adductura mors creditur. itaque etiamsi indifferens mors est, non tamen ea est, quae facile neglegi possit". Atque ipse confitetur se aliquid tribuere huic hominum persuasioni (ep. 117, 6): „multum dare solemus prosumptioni omnium hominum et apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri: tamquam deos esse inter alia hoc colligimus, quod omnibus insita de dis opinio est nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque proiecta, ut non aliquos deos credat: cum animarum aeternitatem disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos aut colentium: utor hac publica persuasione". Atque utitur quidem tragoediarum poeta eadem publica persuasione, eodem tenebrarum metu, quem supra apud philosophum invenimus, eis, quibus locis, ut a superstitione arcis Atreanae tristi abhorreamus, efficere voluit: has Atrei formidines horribilesque errores, quos quam maxume Annaeum philosophum detestatum esse notum,

poeta depingit, tamquam si inferorum tenebrae media in luce haereant (Thy. 654/5): „Sed taxus et cupressus et nigra ilice Obscura nutat silva, quam supra eminens . . . Hinc auspicari regna Tantalidae solent, Hinc petere lassis rebus ac dubiis opem"; ibid. 665 sqq.: „Fons stat sub umbra tristis et nigra piger Haeret palude: talis est dirae Stygis Deformis unda, quae facit caelo fidem. Hinc nocte caeca gemere feralis deos Fama est, catenis lucus excussis sonat Ululantque manes. quicquid audire est metus Illic videtur: errat antiquis vetus Emissa bustis turba . . . saepe latratu nemus Trino remugit, saepe simulacris domus Attonita magnis. nec dies sedat metum Nox propria luco est et superstitio inferum In luce media regnat."

Mortis autem pavorem Annaei animum facile invasisse ut cognoscas, hoc exponamus: disserit enim sic (de ira II, 19, 2): „refert quantum quisque humidi in se calidique contineat. cuius in illo elementi portio praevalebit, inde mores erunt. iracundos fervida animi natura faciet: est enim actuosus et pertinax ignis. frigidi mixtura timidos facit: pigrum est enim contractumque frigus". Quoniam nimirum in horum numero „aegri et reconvalescentes et quorum aut lassitudine aut detractione sanguinis exhaustus est calor"[1]) ponuntur, sese autem tam aegra semper valetudine fuisse, tantoque suspirio atque anhelitu saepius contritum esse confiteatur,[2]) ut ad summam maciem deductus „saepe inpetum ceperit abrumpendae vitae",[3]) inter hos humidiores frigidosque Annaeum sese numerasse haud dubium est. De horum moribus (simul ergo de suis) dicit (de ira II, 20, 4): „humidioribus siccioribusque et frigidis non est ab ira periculum, sed maiora vitia metuenda sunt: pavor et difficultas et desperatio et suspiciones; ep. 78, 4: „nihil aeque, Lucili, virorum optime, aegrum reficit atque adiuvat quam amicorum adfectus; nihil aeque exspectationem mortis ac metum subripit". Ut hoc ipse expertus est, ita totum nobis se patefacit his verbis (ep. 78, 5/6): „ego tibi illud praecipio, quod non tantum huius morbi sed totius vitae remedium est: contemne mortem. nihil triste est, cum huius

[1]) cf. de ira II, 19, 4.

[2]) cf. ep. 54.

[3]) cf. ep. 78, 1.

metum effugimus; tria haec in omni morbo gravia sunt: metus mortis, dolor corporis, intermissio voluptatum. de morte satis dictum est: hoc unum dicam, non morbi hunc esse, sed naturae metum"; ibidem § 25: „tantum mortem desinamus horrere". ep. 82, 15/17: „non enim sic mors indifferens est, quomodo utrum capillos pares habeas: mors inter illas est, quae mala quidem non sunt, sed habent mali speciem: sui amor est et permanendi conservandique se insita voluntas atque adspernatio dissolutionis, quia videtur multa nobis bona eripere et nos ex hac, cui adsuevimus, rerum copia educere. . . . Itaque etiamsi indifferens mors est, non tamen ea est, quae facile neglegi possit: magna exercitatione durandus est animus, ut conspectum eius accessumque patiatur. Mors contemni debet magis quam solet. multo enim de illa credimus. multorum ingeniis certatum est ad augendam eius infamiam. Descriptus est carcer infernus et perpetua nocte oppressa regio, in qua ,Ingens ianitor Orci Ossa super recubans antro semesa cruento, Aeternum latrans exsangues terreat umbras'. Etiam cum persuaseris istas fabulas esse nec quicquam defunctis superesse, quod timeant, subit alius metus: aeque enim timent, ne apud inferos sint quam ne nusquam".

Denique unde hic mortis timor ortus sit, ipsius philosophi verbis dicamus (ep. 82, 15): „illa . . . res morti nos alienat, quod haec (i. e. vitam terrenam) iam novimus, illa ad quae transituri sumus, nescimus, qualia sint, et horremus ignota". Quid autem de his rebus poeta? (Troad. 371/381): „Verum est an timidos fabula decipit Umbras corporibus vivere conditis, Cum coniunx oculis imposuit manum Supremusque dies solibus obstitit Et tristis cineres urna cohercuit? Non prodest animam tradere funeri, Sed restat miseris vivere longius? (378) An toti morimur nullaque pars manet Nostri, cum profugo spiritus halitu Inmixtus nebulis cessit in aera Et nudum tetigit subdita fax latus?" Nonne idem incertus inferorum metus in dubiis his quaestionibus haeret, quamvis de timidis hominibus magis quam de se poeta iuxta ac philosophus dicat, nonne idem „sui amor et permanendi conservandique se insita voluntas atque adspernatio dissolutionis" proximis poetae versibus (378—381) inest? Simul autem, cum quaestione proposita timoris hanc illamque partem ad incertum revocet, elegantissime poeta con-

fitetur ea inprimis causa, quod „ad quae transituri sint nesciunt et horrent ignota“, homines angore affici. Ac si hunc locum perlegeris (ep. 54, 6): „his et eiusmodi exhortationibus, tacitis scilicet, nam verbis locus non erat, adloqui me non desii: deinde paulatim suspirium illud, quod esse iam anhelitus coeperat, intervalla maiora fecit et retardatum est ac remansit. nec adhuc, quamvis desierit, ex natura fluit spiritus: sentio haesitationem quandam eius et moram. . . . hoc tibi de me recipe, non trepidabo ad extrema, iam praeparatus sum, nihil cogito de die toto,“ nonne vides hunc Annaeum talis tristis horae recordantem?: „An toti morimur nullaque pars manet Nostri, cum profugo spiritus halitu Inmixtus nebulis cessit in aera Et undum tetigit subdita fax latus?

Sed quod ad inferos pertinet, eorum metum uterque auctor dissipat, cum vanam esse dicat hanc famam (Troad. 402/6): „Taenara et aspero Regnum sub domino limen et obsidens Custos non facili Cerberus ostio Rumores vacui verbaque inania Et par sollicito fabula somnio“; ad Marc. 19, 4: „cogita nullis defunctum malis affici; illa quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse nullas imminere mortuis tenebras nec carcerem nec flumina igne flagrantia nec oblivionis amnem nec tribunalia et reos et in illa libertate tam laxa ullos iterum tyrannos. luserunt ista poetae et vanis nos agitavere terroribus“. Etiam eo procedit, ut dicat hoc (ep. 24, 18): „nemo tam puer est, ut Cerberum timeat et tenebras et larvalem habitum nudis ossibus cohaerentium“. Res igitur cum ita sint, quid impedit Annaeum artem poeticam temptantem inferos in suam utilitatem convertere? Item profecto philosophus in lud. de morte Claudii agit (11, 6): „nec mora, Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos, Illuc unde negant redire quemquam“; ibid. 13, 3: „momento temporis pervenit ad ianuam Ditis: ubi iacebat Cerberus vel, ut ait Horatius, belua centiceps sese movens villosque horrendos excutiens. pusillum subperturbatur — albam canem in deliciis habere adsueverat — ut illum vidit canem nigrum villosum sane non quem velis tibi in tenebris occurrere“, et quae sequuntur. Multo magis in tragoediis quas tractamus inferos ad rem pertinere facile concedes, quoniam utique heroes Graeci, res ab iis gestae, eorumque mores sine inferis cogitari non possint; inferos igitur non nisi personis fabularum fictos,

Annaeanas autem de inferis sententias Romanis recitatas tragoedias audientibus sic optime explicatas esse apertum sit. Itaque tragoediarum poeta, quemadmodum in rebus de Claudii morte depingendis philosophus liberior est, propriam inferorum imaginem composuit, qualem modo Vergilii vel Graecorum poetarum exempla, modo plebis Romanae sententiam, modo Stoicorum aut suas philosophiae rationes secutus commenticiam adumbravit: ut hoc cognoscatur, de multis haec tantummodo exempla affere liceat (H. f. 698 sqq.): „Non prata viridi laeta facie germinant Nec adulta leni fluctuat Zephyro seges; Non ulla ramos silva pomiferos habet (701) Sterilis profundi vastitas squalet soli Et foeda tellus torpet aeterno situ. [Verumque maestus finis et mundi ultima] (704) Immotus aer haeret et pigro sedet Nox atra mundo: cuncta maerore horrida Ipsaque morte peior est mortis locus“. Non nisi bonis terrenis negatis (qua de re infra disseremus), illa perturbatione universa quam χάος appellant commemorata, horridis tenebris depictis Tartarum describit; qualis inferorum locus ergo nihil nisi Annaeani mortis timoris imago poeticis coloribus depicta est; cf. ep. 82, 15: „sui amor est et permanendi conservandique se insita voluntas atque adspernatio dissolutionis (cf. 701/2), quia videtur multa nobis bona eripere et nos ex hac, cui adsuevimus, rerum copia educere (cf. 698/700). . . . naturalis praeterea tenebrarum metus est, in quas adductura mors creditur“ (cf. 704/6). Ad proximum autem versum, qui totam mortis imaginem complectatur, haec philosophi verba conferenda sunt, quoniam „mortis locus“ haudquaquam nisi cogitatione exstet (ep. 30, 17): „non mortem timemus, sed cogitationem mortis. . . . tu tamen mortem ut numquam timeas, semper cogita!“ Suo iure ergo poeta (Troad. 869): „Optanda mors est sine metu mortis mori“, suo iure philosophus (ep. 70, 8): „stultitia est timore mortis mori“. Simul igitur hanc, ut mortem ne umquam timeant, semper cogitent homines, causam invenimus, de qua permotus inferos in suam rationem convertisse poeta videtur: huiusmodi inde res explicat (H. f. 858/63): „Qualis est vobis animus, remota Luce cum maestus sibi quisque sensit Obrutum tota caput esse terra? Stat choas densum tenebraeque turpes Et color noctis malus ac silentis Otium mundi vacuaeque nubes“; porro H. f. 689/96: „Horrent opaca fronde nigrantes comae, Taxo imminente, quam tenet segnis Sopor, Famesque

maesta tabido rictu iacet Pudorque serus conscios vultus tegit. Metus Pavorque Funus et frendens Dolor Aterque Luctus sequitur et Morbus tremens Et cincta ferro Bella; in extremo abdita Iners Senectus adiuvat baculo gradum".[1]) Quid „chaos" hoc loco sibi velit, iam supra diximus; nec porro digna, de quibus verba faciamus, cur „cincta ferro Bella", „Funus" (cf. ad Marc. 9, 2), „Famesque maesta" in inferis iacere poetae videantur. Necquaquam mirum est, quod Pudor serus conscios vultus tegens et Dolor et Morbus et Metus Pavorque illo horroris loco versantur, cum haec omnia propria Annaeana cognoverimus; item Senectus cum aegritudine cohaerere philosopho videtur, si animum revocamus ad illum, quem iam laudavimus locum (ep. 108, 28sqq.): „. . . senectus enim insanabilis morbus est", et de ira II, 19, 4: „senes difficiles et queruli sunt, ut aegri et convalescentes; . . . in eadem causa sunt siti fameque rabidi . . ." Relinquitur deniqe „Sopor"; quid de hoc philosophus sentiat, e libris verba huic tragoediarum loco aptissime respondentia haec afferamus (ep. 53, 7, 8): „gravis sopor etiam somnia exstinguit animumque altius mergit, utique nullo intellectu est. Quare vitia sua nemo confitetur? quia etiamnunc in illis est: somnium narrare vigilantis est et vitia sua confiteri sanitatis indicium est. Expergiscamur ergo, ut errores nostros coarguere possimus. sola autem philosophia nos excitabit, sola somnum excutiet gravem: illi te totum dedica".

Profecto quid est, quo clarius quam talibus inferis ipsis demonstretur ingenium vere Annaeanum tragoediis inesse! Sed, ut ad reliqua pergamus, quid, ne aliqua mortis supplicia metuant homines, pro inferis supposuerit uterque auctor, nunc disquiramus: Haud scio an hanc ad partem illa res spectet, quod poeta Andromacham, quae Hectorem frustra obsecravit,

---

[1]) Ceterum conferas verba, quae infra faciemus de ratione, quae inter L. Annaeum Senecam philosophum et Vergilium „vatem divinum" intercessit, ac huc adicias ex Vergil. Aen. VI, 273/81: „Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci Luctus et ultrices posuere cubilia Curae, Pallentesque habitant Morbi tristisque Senectus Et Metus et malesuada Fames ac turpis Egestas, Terribiles visu formae, Letumque Labosque; Tum consanguineus Leti Sopor et mala mentis Gaudia mortiferumque adverso in limine Bellum, Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia demens, Vipereum crinem vittis innexa cruentis"; inprimis ad h. l. versus 275 memineris ep. 107, 3 et ep. 108, 29, quos locos iam supra citavimus.

ut contra Achillis impetus adiuvet, haec verba loquentem fecit (Troad. 802/5): „si manes habent Curas priores nec perit flammis amor, Servire Graio pateris Andromachen viro Crudelis Hector? Centus et segnis iaces? Redit Achilles". Quibus verbis mihi quidem poeta hoc videtur dixisse: si revera mortuis amor prioresque curae essent, his, ut carissimos quos maerentes viderent certe adiuvarent vel consolarentur, eos esse usuros haud dubium est; quae res cum ita non se habeat, quid ergo iuvat tales esse manes credere? Nonne igitur talis querela ac dubitatio ad Epicureas sententias pertinere tibi videtur? id quod apud poetas, quicumque Stoicorum partibus favent, pro miro atque inaudito habendum est uno Annaeo philosopho excepto, quem saepius Epicureis placitis studuisse scimus. Inprimis ex his verbis: „lentus et segnis iaces" non umbram in inferis versantem, sed corpus Hectoris sepultum et in tumulo iacentem poetae animo obversatum esse suspicamur; item de ira III, 43, 2: „quieti potius pacatique quantulumcumque superest exigamus; nulli cadaver nostrum iaceat invisum"; atque apud poetam de eodem Hectore Andromache huiusmodi (Troad. 603/4): „inter exstructos iacet Datusque tumulo debita exanimis tulit". Sed ut in mediam rem perveniamus (Troad. 390sqq.): „nec amplius, Iuratos superis qui tetigit lacus, Usquam est; ut calidis fumus ab ignibus Vanescit, spatium per breve sordidus, Ut nubes, gravidas quas modo vidimus, Arctoi Boreae dissicit impetus: Sic hic, quo regimur, spiritus effluet". Eadem cogitatione, qua poeta hoc proximo loco et hoc sequenti (Troad. 379): „Cum profugo spiritus halitu Immixtus nebulis cessit in aera", philosophum comprehendisse animam humanam demonstratur his verbis (ep. 76, 33): „si scit sua nihil interesse, utrum anima per os an per iugulum exeat, beatum voca", vel ep. 30, 14: „non dubitare autem se, quin senilis anima in primis labris esset". Illam Stoicorum doctrinam (Troad. 393/4), qua animam post hominis mortem per aerem crassiorem (cf. nat. qu. VIII, 22, 2) in sinceriorem evolare docetur, philosopho vere non alienam esse elucet ex his exemplis (ad Marc. 23, 1): „(scl.: animi) liberati, leviores ad originem suam revolant et facilius quicquid est illud obsoleti inlitique eluunt . . . vagi per omne, sublimes . . ." et ibidem 25, 1: „fugit et . . . excessit paulumque supra nos commoratus, dum

expurgatur et inhaerentia vitia . . . excutit". Quamvis autem hoc dialogorum loco sensus in partem, quae huic Troadum fabulae loco omnino opponitur, tunc convertatur, tamen poetam non verbum verbo reddere, sed suo i. e. Annaeano ingenio ita pergere non neglegamus (Troad. 397/8): „Post mortem nihil est ipsaque mors nihil Velocis spatii meta novissima"; cf. frg. 28: (Tertullian. de anima c. 14, 2:) „multo coactius Seneca: post mortem, ait, omnia finiuntur, etiam ipsa". Item de resurrect. carnis c. 1: „ait et Seneca omnia post mortem finiri, etiam ipsam"; H. fu. 891/2: „Iam nullus superest timor Nil ultra iacet inferos"; Troad. 401/2: „Mors individua est: noxia corpori Nec parcens animae". Quam rem in dubio relinquit philosophus h. l. (ep. 57, 9): „sic animo, qui adhuc tenuior est igne, per omne corpus fuga est. Itaque quaerendum est, an possit immortalis esse. Hoc quidem certum habe: si superstes est corpori . . . quoniam nulla immortalitas cum exceptione est nec quicquam noxium aeterno est"; nulla vero dubitatione relicta secundum poetam iudicat (ep. 36, 9): „mors nullum habet incommodum: esse enim debet, cuius sit incommodum" et ad Marc. 19, 5: „mors nec bonum nec malum est. id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est. quod vero ipsum nihil est et omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunae tradit. mala enim bonaque circa aliquam versantur materiam. non potest id fortuna tenere, quod natura dimisit, nec potest miser esse, qui nullus est." Hic versus quem poeta scripsit (H. Oet. 441): „Nut.: Quem nec noverca potuit, hunc perimes virum? Dei.: Caelestis ira quos premit, miseros facit: Humana nullos" intellegi non satis poterit, nisi hunc et quos citavimus e philosophi libris locos perlegeris (ep. 99, 30): „nulla, inquam, res eum laedit, qui nullus est: vivit, si laeditur". Inde suo iure philosophus pergit ad Marc. 19, 5: „si mortuorum aliquis miseretur, et non natorum misereatur". Ac profecto quidem haec sententia, utpote cum „non esse" non aliud nisi „non coepisse" philosophus rectissime iudicet, eadem sic potest comprehendi animo (Phoen. 249): „mors me antecedit"; cf. ep. 54, 4/6: „quid hoc est?, inquam. tam saepe mors experitur me? faciat. at ego illam diu expertus sum. „quando?" inquis. antequam nascerer. Mors est non esse. id quale sit iam scio. hoc erit post me, quod ante me fuit. si quid in hac re tormenti est,

necesse est et fuisse, antequam prodiremus in lucem: atqui nullam sensimus tunc vexationem. Rogo, non stultissimum dicas, si quis existimet lucernae peius esse, cum exstincta est, quam antequam accenditur? nos quoque et exstinguimur et accendimur: medio illo tempore aliquid patimur. utrimque vero alta securitas est. In hoc enim, mi Lucili, nisi fallor, erramus, quod mortem iudicamus sequi, cum illa et praecesserit et secutura sit: quicquid ante nos fuit, mors est. quid enim refert non incipias an desinas, cum utriusque rei hic sit effectus, non esse?" Troad. 407/8: „Quaeris, quo iaceas post obitum loco? Quo non nata iacent"; ad Marc. 19, 5: „mors . . ., quae nos in illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur, iacuimus, reponit. Si mortuorum aliquis miseretur, et non natorum misereatur"; ad Polyb. 9, 2: „nam si nullus defunctis sensus superest, evasit omnia frater meus vitae incommoda et in eum restitutus est locum, in quo fuerat, antequam nasceretur; et expers omnis mali nihil timet, nihil cupit, nihil patitur".

Sine dubio inde id apertum est (ep. 30, 6): „non magis in ipsa (scl.: morte) quicquam esse molestiae quam post ipsam. Tam demens autem est, qui timet, quod non est passurus, quam qui timet, quod non est sensurus. An quisquam hoc futurum credit, ut per quam nihil sentiat[ur], ea sentiatur? Ergo, inquit, mors adeo extra omne malum est, ut sit extra omnem malorum metum"; Troad. 399: „Spem ponant avidi, solliciti metum"; ep. 30, 10: „is ait tam stultum esse, qui mortem timeat quam qui senectutem. nam quemadmodum senectus adulescentiam sequitur, ita mors senectutem"; item mors cum senectute apud poetam coniungitur (Phaed. 138/9): „Quemcumque dederit exitum casus feram: Fortem facit vicina libertas senem"; Oed. 788: „Animam senilem mollis exsolvit sopor". Eodemque modo, quo h. l. poeta tranquillitatem mortis mollisque somni inter se comparatorum praedicat, philosophus somnum laudibus elatum morti comparat: primum a contrario somnus laudatur (de tranq. an. 2, 6): „hi vexantur . . ., qui non aliter quam quibus difficilis somnus est, versant se et hoc atque illo modo conponunt, donec quietem lassitudine inveniant . . .; (ibid. 2): „. . . et alio atque alio positu ventilari . . . quod proprium aegri est"; (mollis somni igitur desiderium sua aegritudine Annaeum Senecam expertum esse elucet); tunc ut

praemium beneficiumque celebratur (de ira III, 36, 2): „faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? . . . Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur! quam tranquillus, quam altus ac liber, cum aut laudatus est animus aut admonitus . . .!“ Talis denique morti comparatur somnus (de trq. an. 16, 6): „nam et somnus refectioni necessarius est: hunc tamen semper si per diem noctemque continues, mors erit“. His philosophi sententiis egregie poeta consentit (H. fu. 1065/81): „Tuque o domitor Somne malorum, Requies animi, Pars humanae melior vitae, Volucre o matris genus Astraeae,[1]) Frater durae languide Mortis, Veris miscens falsa, futuri Certus et idem pessimus auctor, Pater o rerum, portus vitae, Lucis requies noctisque comes, Qui par regi famuloque venis, Pavidum leti genus humanum Cogis longam discere noctem.[2]) Placidus fessum lenisque fove, Preme devictum torpore gravi;[3]) Sopor indomitos alliget artus Nec torva prius pectora linquat, Quam mens repetat pristina cursum“. Ut h. l. somnus, ita mors ab utroque auctore „portus vitae“ appellatur (Agam. 590): „cum pateat malis Effugium et miseros libera mors vocet Portus aeterna placidus quiete“; H. Oet. 1021: „Mors sola portus dabitur aerumnis meis“; ad Polyb. 9, 7: „in hoc tam procelloso et in omnes tempestates

---

[1]) Volucer Astraeae nuntius, quae illa aurea aetate patrona iustitiae divina fuisse dicebatur, somnus h. l. celebratur, quod conscio mali relicto iustum et bonum, qui „speculator sui censorque secretus cognovit de moribus suis“ (de ira III, 36, 2), facile fovet ac tamquam beatum reddit; huic igitur versui illa inprimis sententia respondet, quam philosophus de ira III, 36 exponit.

[2]) ad versum 1076: „Cogis longam discere noctem“ illum epistularum locum, quo mortem sese iam didicisse philosophus confitetur, in memoriam revocemus (ep. 54, 2): „omnia corporis aut incommoda aut pericula per me tranierunt: nullum mihi videtur molestius (scl.: „quam suspirium“, quo ipse patitur). quidni? aliud enim quicquid est, aegrotare est, hoc animum agere. itaque medici hanc „meditationem mortis“ vocant. facit enim aliquando spiritus ille, quod saepe conatus est . . . (§ 7:) non trepitabo ad extrema, iam praeparatus sum“.

[3]) ad versus 1075—1078 haec inprimis philosophi verba optime consentanea compares (de tranq. an. 17, 6): „nam et somnus refectioni necessarius est; hunc tamen semper si per diem noctemque continues, mors erit“.

exposito mari navigantibus nullus portus nisi mortis est"; ad Marc. 20, 2: „haec (i. e. mors) est, inquam, quae efficit, ut nasci non sit supplicium, quae efficit, ut non concidam adversus minas casuum, ut servare animum salvum ac potentem sui possim: habeo, quo adpellam". Itaque Troad. 329: „Mortem misericors saepe pro vita dabit" et H. Oet. 929/31: „Quicumque misero forte dissuadet mori, Crudelis ille est: interim poena est mori, Sed saepe donum: pluribus veniae fuit".[1])

Sed „Quid?" inquis; qua ratione mors simul poena, donum, venia esse potest? Quomodo percipiendus sit hic permirus locus, egregie elucet e verbis quae philosophus fecit de ira I, 16, 3: „tibi insanabilis animus et sceleribus scelera contexens, et iam non causis, quae numquam malo defuturae sunt, inpelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum causa peccare, perbibisti nequitiam et ita visceribus inmiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit: olim miser mori quaeris, bene de te merebimur, auferemus tibi istam, qua vexaris insaniam et per tua alienaque volutato supplicia id quod unum tibi bonum superest repraesentabimus, mortem. quare irascar cui cum maxime prosum? interim optimum misericordiae genus est occidere"; item H. fu. 1261/2: „nemo polluto queat Animo mederi: morte sanandum est scelus"; H. Oet. 890: „Mors innocentes sola deceptos facit."

Sed ne a proposito nostro abeamus, hoc unum, quod iam plurimis quae supra commemoravimus testimoniis demonstratum est, constat: summam tranquilitatem quietemque hominem post mortem esse recepturum et philosophum et poetam credere. Talis beatitudo quae, si quidem cum vitae comparatur mortis condicio, utrique auctori videtur, ab ambobus inprimis malis vitae negatis depingitur (ad Polyb. 9, 4/5): „cum cogitaveris multa esse, quae perdidit, cogita plura esse, quae non timet: non ira eum torquebit, non morbus adfliget, non suspicio lacesset, non edax et inimica semper alienis processibus invidia consectabitur, non metus sollicitabit, non levitas fortunae cito munera sua transferentis inquietabit. si bene conputes, plus illi remissum quam

[1]) alio loco simillima elocutione philosophus utitur ac poeta (ad Marc. 20, 2): „. . . (scl. mors) omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum"; quem ad locum cf. verba: „interim poena sed saepe donum, pluribus veniae fuit".

ereptum est. Non opibus fruetur, non tua ac sua gratia; non accipiet beneficia, non dabit: miserum putas, quod ista amisit, an beatum, quod non desiderat? mihi crede, is beatior est, cui fortuna supervacua est, quam is, cui parata est. Omnia ista bona, quae nos speciosa, sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia aliaque conplura, ad quae generis humani caeca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum invidia conspiciuntur eosdemque ipsos, quos exornant, et premunt. plus minantur quam prosunt. lubrica et incerta sunt. numquam bene tenentur: nam ut nihil de tempore futuro timeatur, ipsa tamen magnae felicitatis tutela sollicita est." Etiam ista bona, quibus mortuos carere complures homines dolere solent, speciosa ac fallacia esse demonstratur; neque igitur his quoque rebus nisi negatis beatitudinem illam philosophus depingit; item ad Marc. 19, 6–20, 2: „excessit filius tuus terminos, intra quos servitur. excepit illum magna et aeterna pax. non paupertatis metu, non divitiarum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur, non invidiae felicitatis alienae tangitur, non suae premitur, ne conviciis quidem ullis verecundae aures verberantur. nulla publica clades prospicitur, nulla privata. non sollicitus futuri pendet et ex eventu semper in incertiora dependenti. tandem ibi constitit, unde nil eum pellat, ubi nihil terreat. O ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum naturae laudatur exspectaturque, sive felicitatem includit, sive calamitatem repellit, sive satietatem ac lassitudinem senis terminat, sive iuvenile aevum, dum meliora sperantur, in flore deducit, sive pueritiam ante duriores gradus revocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita quam de iis, ad quos venit, antequam invocaretur. haec servitutem invito domino remittit. haec captivorum catenas levat. haec e carcere educit, quos exire imperium inpotens vetuerat. haec exulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus ostendit nihil interesse, infra quod quis iaceat"; ibid. 19, 5: „mors dolorum omnium exsolutio est et finis, ultra quem mala nostra non exeunt, quae nos in illam tranquillitatem . . . reponit". Neque aliter ac malis tali ratione negatis beati Priami condicionem depingit poeta (Troad. 143/56): „Non est Priami miseranda mei Mors, Iliades. Felix Priamus dicite cunctae: Liber manes vadit ad imos, Nec feret umquam victa

Graium Cervice iugum; Non ille duos videt Atridas Nec fallacem cernit Ulixen; Non Argolici praeda triumphi Subiecta feret colla tropaeis; Non adsuetas ad sceptra manus Posterga dabit Currusque sequens Agamemnonios Aurea dextra vincula gestans Latis fiet pompa Mycenis“. Itaque maxime celebratur felix is, qui sive una cum secundarum rerum ruina sive, priusquam munera ei eripuit fluxa levisque fortuna, e vita decedit: cuius beatitudinem ut quam maxime praedicet atque exornet, uterque auctor illis placitis, quae philosophi sectam Stoicam secuti tradiderunt, utitur (Troad. 128/30): „Tecum cecidit summusque dies Hectoris idem patriaeque fuit“; Troad. 157/63: „Felix Priamus dicimus omnes: Secum excedens sua regna tulit; Nunc Elysii nemoris tutis Errat in umbris interque pias Felix animas Hectora quaerit. Felix Priamus, Felix quisquis bello moriens Omnia secum consumpta tulit“; ad Polyb. 9, 7/8: ne itaque invideris fratri tuo: quiescit. tandem liber, tandem tutus, tandem aeternus est. superstitem Caesarem omnemque eius prolem, superstitem te cum communibus habet fratribus. antequam quicquam ex suo favore fortuna mutaret, stantem adhuc illam et munera plena manu congerentem reliquit. Fruitur nunc aperto et libero caelo, ex humili atque depresso in eum emicuit locum, quisquis ille est, qui solutas vinculis animas beato recipit sinu, et nunc illic libere vagatur omniaque rerum naturae bona cum summa voluptate perspicit“; item ad Marc. 22, 1: „quereris, Marcia, non tam diu filium tuum vixisse quam potuisse? unde enim scis an diutius illi expedierit vivere? an illi hac morte consultum sit? Quem invenire hodie potes, cuius res tam bene positae fundataeque [sint], ut nihil illi procedenti tempore timendum sit. Labant humana ac fluunt neque ulla pars vitae nostrae tam obnoxia aut tenera est quam quae maxime placet, ideoque felicissimis optanda mors est, quia in tanta inconstantia turbaque rerum nihil nisi quod praeteriit certum est“; consentaneum huic beatus filius respondet ibidem 26, 3/4: „cur in domo nostra diutissime lugetur qui felicissime moritur? coimus omnes in unum videmusque non alta nocte circumdati, nil apud vos, ut putatis, optabile, nil excelsum, nil splendidum, sed humilia cuncta et gravia et anxia et quotam partem luminis nostri cernentia? Quid dicam nulla hic arma mutuis furere concursibus nec classes classibus frangi nec

parricidia aut fingi aut cogitari nec fora litibus strepere dies perpetuos, nihil in obscuro, detectas mentes et aperta praecordia et in publico medioque vitam et omnis aevi prospectum venientiumque?“ Inde summum eiusdem rei desiderium esse poeta exponit (Oed. 71/4): „Adfusus aris supplices tendo manus Matura poscens fata, praecurram ut prior Patriam ruentem neve post omnis cadam Fiamque regni funus extremum mei“. H. Oet. 104/5: „Par ille est superis cui pariter dies Et fortuna fuit.“ A contrario quoque sententiam philosophus et poeta explicant ad Marc. 20, 4sqq.: „cogita quantum boni opportuna mors habeat, quam multis diutius vixisse nocuerit. Si Cn. Pompeium, decus istud firmamentumque imperii, Neapoli valitudo abstulisset, indubitatus populi Romani princeps excesserat: at nunc exigui temporis adiectio fastigio illum suo depulit. vidit legiones in conspectu suo caesas. et ex illo proelio, in quo prima acies senatus fuit, quae infelicis reliquiae sunt, ipsum imperatorem superfuisse! vidit Aegyptium carnificem et sacrosanctum victoribus corpus satelliti praestitit, etiamsi incolumis fuisset, poenitentiam salutis acturus. quid enim erat turpius Pompeium vivere beneficio regis? M. Cicero si illo tempore, quo Catilinae sicas devitavit, quibus pariter cum patria petitus est, concidisset liberata republica servator eius. si denique filiae suae funus secutus esset, etiam tunc felix mori potuit. non vidisset strictos in civilia capita mucrones nec divisa percussoribus occisorum bona, ut etiam de suo perirent, non hastam consularia spolia vendentem nec caedes nec locata publice latrocinia, bella, rapinas, tantum Catilinarum. Marcum Catonem si a Cypro . . .“; item Troad. 1167/77: „concidit virgo ac puer; Bellum peractum est. quo meas lacrimas feram? Ubi hanc anilis expuam leti moram? Natam an nepotem, coniugem an patriam fleam? An omnia an me sola? Mors votum meum, Infantibus violenta virginibus venis, Ubique properas, saeva: me solam times Vitasque, gladios inter ac tela et faces Quaesita tota nocte, cupientem fugis. Non hostis aut ruina, non ignis meos Absumpsit artus: quam prope a Priamo steti“. Profecto si, ut philosophi verba imitemur, cum Troiae ruina ac Priamo moriente fatum Hecubam rapuisset, non omnium dolores in hanc unam concidissent, non sola sese flevisset. Similiter placidum mortis salus et vitae supplicium, quo nil sit crudelius, inter se opponuntur

(Phoen. 304): Ideoque leti quaero maturi viam Morique propero . . . tu tantum impera: Hic Oedipus Aegaea transnabit freta Iubente te, flammasque quas Siculo vomit De monte tellus igneos volvens globos, Excipiet ore seque serpenti offeret, Quae saeva furto nemoris Herculeo furit; Iubente te praebebit alitibus iecur — Iubente te vel vivet"; neque aliter Oed. 180/98: „O dira novi facies leti, Gravior leto: Piger ignavos alligat artus Languor . . . Prostrata iacet turba per aras Oratque mori"; cf. ep. 58, 34: „at si inutile ministeriis corpus est, quidni oporteat educere animum laborantem? et fortasse paulo ante, quam debet faciendum est, ne, cum fieri debebit, facere non possis: et cum maius periculum sit male vivendi quam cito moriendi, stultus est, qui non exigua temporis mercede magnae rei aleam redimit. Paucos longissima senectus ad mortem sine iniuria pertulit, multis iners vita sine usu sui iacuit: quanto deinde crudelius iudicas aliquid ex vita perdidisse quamvis finienda?" ep. 24, 11: „mihi crede, Lucili, adeo mors timenda non est, ut beneficio eius nihil timendum sit"; ep. 24, 9: „ille Cn. Pompei socer Scipio, qui contrario in Africam vento relatus cum teneri navem suam vidisset ab hostibus, ferro se transverberavit et quaerentibus, ubi imperator esset: ‚imperator, inquit, se bene habet';" ad Marc. 20, 3: „video istic cruces non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas: capite quidam conversos in terram suspendere, alii per obscena stipitem egerunt, alii brachia patibulo explicuerunt. vides fidiculas, video verbera. et membris singulis et articulis singula docuerunt machinamenta: at video et mortem. sunt istic hostes cruenti, cives superbi: sed video istic et mortem. Non est molestum servire, ubi si domini pertaesum est, licet uno gradu ad libertatem transire. caram te vita, beneficio mortis habeo" (aut, si illam scripturam coniecturis nixam sequimur: „contra iniurias vitae beneficium mortis habeo"). Inde, quod res ita se habet (Ag. 996): „Mortem aliquid ultra est? Vita, si cupias mori", respiciendum est id (H. Oet. 929/30): „Quicumque misero forte dissuadet mori, Crudelis ille est"; Phoen. 98/105: „Peccas honesta mente, pietatem vocas Patrem insepultum trahere. qui cogit mori Nolentem in aequo est quique properantem impedit; Nec tamen in aequo est: alterum gravius reor: Occidere est vetare cupientem mori Malo imperari quam

eripi mortem mihi. Desiste coepto, virgo: ius vitae ac necis Meae penes me est. regna deserui libens, Regnum mei retineo". Neque enim hoc est neglegendum (ad Marc. 20, 1): „o ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum naturae laudatur, . . . sive calamitatem repellit sive satietatem . . . terminat"; item ep. 70, 14/15: „invenies etiam professos sapientiam, qui vim adferendam vitae suae negent et nefas iudicent ipsum interemptorem sui fieri: exspectandum esse exitum, quem natura decrevit. hoc qui dicit, non videt se libertatis viam cludere. nil melius aeterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. Ego exspectem vel morbi crudelitatem vel hominis, cum possim per media exire tormenta et adversa discutere? Hoc est unum, cur de vita non possimus queri: neminem tenet. Bono loco res humanae sunt, quod nemo nisi vitio suo miser est. Placet: vive. non placet: licet eo reverti, unde venisti. Ut dolorem capitis levares, sanguinem saepe misisti. ad extenuandum corpus vena percutitur. non opus est vasto volnere dividere praecordia: scalpello aperitur ad illam magnam libertatem via et puncto securitas constat". Ut iam supra saepius, ita h. l. nimirum sententiam, qualem philosophum semper in animo habuisse nonnullis quidem librorum ad philosophiam spectantium locis demonstratur, vere simillimam a poeta pronuntiari invenimus (Phoen. 146/54): „morte prohiberi haud queo. Ferrum negabis? noxias lapsu vias Cludes et artis colla laqueis inseri Prohibebis? herbas quae ferunt letum auferes? Quid ista tandem cura proficiet tua? Ubique mors est. optume hoc cavit deus: Eripere vitam nemo non homini potest, At nemo mortem; mille ad hanc aditus patent. Nil quaero: dextra noster et nuda solet Bene animus uti"; Phaed. 258/66: „Decreta mors est: quaeritur fati genus. Laqueone vitam finiam an ferro incubem? An missa praeceps arce Palladia cadam? Prohibere nulla ratio periturum potest: Ubi qui mori constituit et debet mori"; item ep. 70, 23/24: „cum adveheretur nuper inter custodias quidam ad matutinum spectaculum missus, tanquam somno premente nutaret, caput usque eo demisit, donec radiis insereret, et tamdiu se in sedili suo tenuit, donec cervicem circumactu rotae frangeret: eodem vehiculo, quo ad poenam ferebatur, effugit. Nihil obstat erumpere et exire cupienti. in aperto nos natura custodit: cui

permittit necessitas sua, circumspiciat exitum mollem. cui ad manum plura sunt, per quae sese adserat, is delectum agat et qua potissimum liberetur, consideret. cui difficilis occasio est, is proximam quamque pro optima adripiat, sit licet inaudita, sit nova: non deerit ad mortem ingenium, cui non defuerit animus"; Phaedr. 877/8: „Thes.: Leti facultas nulla continget tibi". Phd.: „Mori volenti desse mors numquam potest"; porro H. Oet. 922/4: „Frustra tenetur ille qui statuit mori. Vixit satis quicumque cum Alcide occidit: Proinde lucem fugere decretum est mihi".

Quibus in rebus apud philosophum et poetam una atque eadem prorsus sententia invenitur. Sin autem complectimur nunc omnia quae enumeravimus adhuc testimonia ad hominum post mortem condicionem spectantia, has duas sententias quae videntur quidem inter se tantopere opponi cognoscemus, quod altera parte summa tranquillitas usque ad „nihil" adducitur, altera exsolutio liberatioque malorum terrestrium in id discrimen procedit, ut pro imagine quidem (quo simillimo modo a clero Christiano illa sententia, qua in novo testamento mortuorum resurrectio praedicatur, usque ad haec tempora quibus florent naturalia studia servetur, ita) illa quoque accipiatur ab Annaeo Seneca sententia Stoicorum placitis tradita, qua quam longissime a tristi corpore tamquam a carcere hominis partem meliorem in eum locum, quo sinceriorem malis vitae humanae opponere nequeunt homines i. e. in aethera purissima luce clarissimum, transferri docetur.[1]) Quas duas sententias, quamvis inter se discrepare videntur,

[1]) Qua sententia sane potius pro imagine quidem rei, quae animo comprehendi aliter non possit, Annaeum Senecam usum esse quam credidisse talia revera exsistere elucet ex his philosophi verbis (ep. 102, 1 sq.): „quomodo molestus est iucundum somnium videnti, qui excitat, aufert enim voluptatem, etiamsi falsam effectum tamen verae habentem: sic epistula tua mihi fecit iniuriam. revocavit enim me cogitationi aptae traditum et iturum, si licuisset, ulterius; iuvabat de aeternitate animarum quaerere, immo mehercules credere. credebam enim me facile opinionibus magnorum virorum rem gratissimam promittentium magis quam probantium. dabam me spei tantae. iam eram fastidio mihi, iam reliquias aetatis infractae contemnebam in immensum illud tempus et in possessionem omnis aevi transiturus: cum subito expergefactus sum epistula tua accepta et tam bellum somnium perdidi"; similiter poetam quoque de inferorum fabulis iam supra loqui vidimus (Troad. 405/6): „Rumores vacui verbaque inania Et par sollicito fabula somnio".

tamen, si conexus diligentius subsecutus es exemplorum inprimis per pag. 79—84 allatorum, hac ex una eademque causa revera repetendas esse nobis concedes, quod in summam tranquillitatem ac libertatem homines post mortem pervenire Annaeus Seneca sibi persuasit.[1]) Huc accedit id, quod philosophus his qui sequuntur locis exponit (ep. 71, 13/14): „certis eunt cuncta temporibus: nasci debent, crescere, exstingui. quaecumque supra nos vides currere, et haec, quibus inmixti atque inpositi sumus veluti solidissimis, carpentur ac desinent. nulli non senectus sua est: inaequalibus ista spatiis eodem natura dimittit. quicquid est, non erit; nec peribit, sed resolvetur. Nobis solvi perire est. proxima enim intuemur. ad ulteriora non prospicit mens hebes et quae se corpori addixit: alioquin fortius finem sui suorumque pateretur, si speraret, [ut] omnia illa, sic vitam mortemque per vices ire et conposita dissolvi, dissoluta conponi, in hoc opere aeternam artem cuncta temperantis dei verti"; item ep. 36, 9/10: „mors nullum habet incommodum: esse enim debet aliquis, cuius sit incommodum. Quod si tanta cupiditas te longioris aevi tenet, cogita nihil eorum, quae ab oculis abeunt et in rerum naturam, ex qua prodierunt ac mos processura sunt, reconduntur, consumi: desinunt ista, non pereunt. et mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit: veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent, nisi oblitos reduceret. Sed postea diligentius docebo, omnia, quae videntur perire, mutari. Aequo animo debet rediturus exire. observa orbem rerum in se remeantium: videbis nihil in hoc mundo exstingui, sed vicibus descendere ac surgere: aetas abiit, sed alter illam annus adducet. hiems cecidit, referent illam sui menses. solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. stellarum iste discursus quicquid praeteriit, repetit: pars caeli levatur adsidue, pars mergitur". Sic igitur secundum Annaeanam sententiam homines moriuntur, ut aliis in nihilum exstingui, aliis beatitudinem adipisci videantur, revera in naturam unde descenderunt, revertantur. Quid enim? Quae res cum ita sint, num mirum est, quod philosophus in hac quam ancipitem proposuit quaestione acquiescit, nihil curat, utrum in hanc an in illam partem inclinetur? cf. ad Polyb. 9, 3: quid

[1]) Profecto „non Epicuream cantilenam inepte se persequi" gloriatur nec Stoicorum placitis permovetur, ut ab his rebus disquirendis desistat (ep. 24, 18).

itaque eius desiderio maceror, qui aut beatus aut nullus est? beatum deflere invidia est, nullum dementia"; ibidem 5, 1: „torqueri ille te aut non vult aut non intellegit"; ep. 65, 24: „mors quid est? aut finis aut transitus: nec desinere timeo. idem est enim, quod non coepisse: nec transire, quia nusquam tam anguste ero"; ep. 24, 18: mors nos aut consumit aut exuit"; de prov. 6, 6: „contemnite mortem, quae vos aut finit aut transfert". Neque igitur habemus nunc, cur miremur, quod in Troadum fabula, postquam modo altero choro Priamus et Hector felices beatique praedicati sunt, altero qui proxime sequitur choro nihil fore post mortem ac finem pronuntiatur[1]). Qua re ipsa manifesto quidem cognoscitur non surripuisse sententias, quascumque furtim potuit, philosopho poetam, sed aperte ex philosophi ingenio composuisse tragoediam. Itaque ad extremum. ut breviter colligamus, qualis in ipsis visceribus opinio philosopho fuerit de his quaestionibus, quid sit post mortem: confitetur de his rebus hominem in incerto haerentem semperque anxium ad veritatem numquam esse perventurum (ad Polyb. 9, 9): „est mihi, crede, magna felicitas in ipsa felicitate moriendi. nihil ne in totum quidem diem certi est: quis in tam obscura et involuta veritate divinat, utrumne fratri tuo mors inviderit an consuluerit?" ad Marc. 26, 7: „felicem filium tuum, Marcia, qui ista iam novit" (Qua ex re sequitur, ut verum scire de istis ipsum et Marciam et omnino vivos homines nequire concedat); ep. 63, 16: „cogitemus ergo, Lucili carissime, cito nos eo perventuros, quo illum pervenisse moeremus. et fortasse, si modo vera sapientium fama est recipitque nos locus aliquis, quem putamus perisse, praemissus est"; in incerto igitur haerere homines, licet quidem in hac re subsistant (de benef. V, 8, 5): „rerum natura nihil dicitur perdere, quia quicquid illi avellitur, ad illam redit, nec perire quicquam potest, quod quo excidat non habet, sed eodem revolvitur, unde discedit". Neque ergo casu accidisse credimus, sed praestantissimo ac divino philosophi artificio, quo illi incertitudini atque anxietati, quae sciscitari et frustra niti non desinit, id respondetur, quod unum homini sive vult sive non vult accipere, responderi potest, ut poeta choro ad tales quaestiones pertinenti hunc finem im-

[1]) cf. Troad. 142 sqq. et 371 sqq.

Annaeanae opinionis in his verbis poeta amplectitur aptissimis. Neglectis enim istis decretis sive Stoicorum sive Epicureorum posuerit (Troad. 407/8): „Quaeris, quo iaceas post obitum loco? Quo non nata iacent.“ Profecto summum et caput disciplinis traditis Seneca id, quod solum pro certo haberi possit, hominibus in memoriam revocat.

Similiter ex hac re mortis consolationem repetit, quod mortem, cum in universo regnet mundo, pro summo fati numine veretur (ad Polyb. 1, 2sq.): „mundo quidem minantur interitum et hoc universum, quod omnia divina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit et in confusionem veterem tenebrasque demerget: eat nunc aliquis et singulas conploret animas. Carthaginis ac Numantiae Corinthique cinerem et si quod altius cecidit, lamentetur, cum etiam hoc quod non habet, quo cadat, sit interiturum: eat aliquis et fata tantum aliquando nefas ausura sibi non pepercisse conqueratur. Quis tam superbae inpotentisque adrogantiae est, ut in hac naturae necessitate omnia ad eundem finem revocantis se unum ac suos seponi velit ruinaeque etiam ipsi mundo imminenti aliquam domum subtrahat?“ de prov. 5, 8: „grande solatium est cum universo rapi. quicquid est quod nos sic vivere, sic mori iussit, eadem necessitate et deos adligat“; ad Marc. 12, 4: „ne deos quidem fabulae inmunes reliquerunt, puto, ut nostrorum funerum levamentum esset etiam divina concidere“. Atque eadem de rerum fato, eadem sententia de dis in mundi ruina modo creditis modo despectis apud poetam invenitur (Thy. 830): „Ne fatali cuncta ruina Quassata labent iterumque deos Hominesque premat deforme chaos Iterum terras et mare cingens Et vaga picti sidera mundi Natura tegat. Non aeternae facis exortu Dux astrorum saecula ducens Dabit aestatis brumaeque notas, Non Phoebeis obvia flammis Demet nocti Luna timores Vincetque sui fratris habenas, Curvo brevius limite currens; Ibit in unum Congesta sinum turba deorum“. Cum enim illa quae philosophus de prov. 5, 8 exponit his versibus 831—832 respondeant, ista ignobilis deorum turba et longa superstitione congesta illis fabulosis, quos ad Marc. 12, 4 et frg. 39 commemorat, similis est. Quae res utcumque se habet, concidunt di omniaque! (H. Oet. 1112): „Caeli regia concidens Ortus atque obitus trahet Atque omnis pariter deos Perdet mors aliqua et

chaos Et mors fata novissima In se constituet sibi". Item de prov. 5, 8: „inrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit".

At prohibetne, quaeris, tales res ille summus deus, quem credit Seneca mundum regere? Hic ipse deus fatum sequitur, cum vitia fati corrigat: concedit id philosophus iam hoc loco, quamquam honesta praescriptione deus ei tegendus esse videtur (de prov. 5, 8): „ille ipse omnium conditor et rector scripsit quidem fata, sed sequitur. semper paret, semel iussit"; item de ira II, 28, 4: „non enim illorum (i. e. deorum), sed lege mortalitatis patimur, quicquid incommodi accidit. At morbi doloresque incurrunt: utique aliqua fugiendum est domicilium putre sortitis"; liberius iam his locis profitetur (nat. qu. VI, 3, 1): „illud quoque proderit praesumere animo, nihil horum deos facere, neque ira numinum aut caelum concuti aut terram: suas istas causas habent nec ex imperio saeviunt, sed quibusdum vitiis, ut corpora nostra, turbantur et tunc, cum facere videntur iniuriam, accipiunt; et ep. 58, 27: miremur deum . . . hoc providentem, quem admodum, quae inmortalia facere non potuit, quia materia prohibebat, defendat a morte ac ratione vitium corporis vincat. Idem sentit poeta his quidem verbis (Oed. 989/90): „Non illa deo vertisse licet Quae nexa suis currunt causis" et Phaed. 466 sqq: Providit ille maximus mundi parens, Cum tam rapaces cerneret Fati manus, Et damna semper subole repararet nova. Sed ista credas desse: sic atram Styga Iam petimus ultro. caelibem vitam probet Sterilis iuventus: hoc erit, quicquid vides, Unius aevi turba et in semet ruet". Itaque consentana opinio est universi mundi interitum non solum finem, sed simul originem mundi esse (ad Helv. 6, 8): „omnia volvuntur semper et in transitu sunt. ut lex et naturae necessitas ordinavit, aliunde alio deferuntur. cum per certa annorum spatia orbes suos explicuerint, iterum ibunt per quae venerant. . . . cum dei natura adsidua et citatissima commutatione vel delectet se vel conservet"; item Thy. 831 sqq: Ne fatali cuncta ruina Quassata labent iterumque deos Hominesque premat deforme chaos Iterum terras et mare cingens Et vaga picti sidera mundi Natura tegat. . . . . . (855) Leo flammiferis aestibus ardens Iterum e caelo cadet Herculeus Cadet in terras Virgo relictas . . ." Item ad Polyb. 1, 2: „hoc universum, quod omnia divina humanaque complectitur, . . . dies aliquis dissipabit et in confusionem veterem . . . demerget;

porro ad Marc. 6, 6/7): „et cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus exstinguat, viribus ista se suis caedent . . .; nos quoque felices animae et aeterna sortitae, cum deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis et ipsae parva ruinae ingentis accessio in antiqua elementa vertemur". Ut apud philosophum, ita apud poetam hic mundi interitus secundum Stoicorum placita describitur (dogma *ἐκπυρώσεως* ab his philosophis traditum!): diligentius Herc. Oet. 1102/1127; Thy. 830 sqq.; ad Marc. 26, 6; aliisque locis de his rebus agitur. Quibus ex locis inprimis haec verba videntur digna quae conferantur (Thy. 822/26): „Tenebrasque iubet surgere nondum Nocte parata: non succedunt Astra nec ullo micat igne polus, Non Luna gravis digerit umbras; item ad Polyb. 1, 2: „dies aliquis dissipabit et in confusionem veterem tenebrasque demerget". Porro Thy. 827: „Sed quicquid id est, utinam nox sit! ... (844) Hic qui sacris pervius astris Secat obliquo tramite zonas Flectens longos signifer annos, Lapsa videbit sidera labens; . . . Hic qui nitido Taurus cornu Praefert Hyadas, secum Geminos Trahet et curvi bracchia Cancri; Leo flammiferis aestibus ardens Iterum e caelo cadet Herculeus, Cadet in terras Virgo relictas Iustaeque cadent pondera Librae Secumque trahent Scorpion acrem . . ."; item ad Marc. 26, 6: „nihil, quo stat loco, stabit, omnia sternet aducetque secum vetustas. nec hominibus solum (quota enim ista fortuitae potentiae portio est?), sed locis, sed regionibus, sed mundi partibus ludet. tot supprimet montes et alibi rupes in altum novas exprimet . . . et ignibus vastis torrebit incendetque mortalia. . . . viribus ista se suis caedent et sidera sideribus incurrent et omni flagrante materia uno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit"; nat. quaest. VI, 32, 4: „animam qui contemsit, securus adspiciet fulminantis caeli trucem atque horridam faciem frangatur licet caelum et ignes suos in exitium omnium, inprimis suum misceat. securus adspiciet ruptis conpagibus dehiscens solum, illa licet inferorum regna retegantur". Porro H. Oet. 1119/20: „Discedit via Tartari Fractis ut pateat polis"; item ad Marc. 26, 6: „alibi hiatibus vastis subducet urbes tremoribus quatiet et ex infimo pestilentiae halitus mittet". Ceterum his locis optime demonstratur Senecam non nisi ut in suum usum convertat decreta a superioribus philosophis tradita secutum esse, immo omnia suo arbitrio suaque ratione egisse; neque enim dubitabit aliquis eum h. l.

illos montes flammas igniferosque halitus evomentes, quos ipse in Italia aut in Sicilia conspexerat, adumbrasse. Iidem poetae ob oculos versati videntur; cf. Thy. 843/4: „Ibit in unum ... sinum turba deorum"; Oed. 582: „Subito dehiscit terra et immenso sinu Laxata patuit"; H. f. 679: „Intus immensi sinus". Utique dum terrae regionesque omnibus viribus noxiis, aqua, igni, hiatibus Tartari apertis in totam conturbationem convertuntur, e caelo sideribus concissis eorumque ‚flammiferis aestibus' unus totius orbis ignis exoritur; quomodo terris vastis sideribusque in terrarum in se dissolutarum confusionem lapsis relinquitur hoc (nat. qu. III, 13, 1): „dicimus enim ignem esse, qui occupet mundum et in se cuncta convertat. hunc evanidum considere et nihil relinqui aliud in rerum natura igne restincto quam humorem"; ad Marc. 26, 6: inundationibus, quicquid habitatur obducet et ... orbe submerso ..."; nat. qu. VI, 32, 4: „... securus videbit maria turbari, etiamsi illa omnes excitaverint venti, etiamsi aestus aliqua perturbatione mundi totum in terras verterit oceanum". Eadem sententia apud poetam invenitur (Thy. 850): „Aries praeceps ibit in undas Per quas pavidam vexerat Hellen ... (867) Plostraque numquam perfusa mari Merget condens omnia gurges". Ac quam optime quidem poetae hoc quaerenti (H. Oet. 1118): „Quis mundum capiet locus?" haec philosophi verba respondent (ad Polyb. 1, 2): „hoc (i. e. universum) quod non habet, quo cadat sit interiturum". Idque solum hoc modo comprehendi potest (ad Marc. 26, 6): „uno igni quicquid ex disposito lucet, ardebit", vel cum his verbis: „lucet" et „igni ardebit" auctor h. l. nil nisi ludat, summum sensus caput praebent haec verba: „uno ... (scl. continetur) quicquid nunc ex disposito lucet". Idem dicit poeta (Thy. 843): „Ibit in unum Congesta (i. e. magna) sinum turba deorum"; H. Oet. 1126/27: „Pontum Tartara sidera Regna unus capiet tria".

Fatum ut universum mundum deosque rapit, ita videlicet homines. Nam (Phaedr. 219/20): „non umquam amplius Convexa tetigit supera qui mersus semel Adiit silentem nocte perpetua domum"; Phaed. 624/5: „Regni tenacis dominus et tacitae Stygis Nullam relictos fecit ad superos viam"; H. f. 665/6: „unde numquam Cum semel venit, potuit reverti"; item Seneca in lud. de morte Claud. 11, 6: „nec mora Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos, illuc unde negant redire quemquam";

praeterea conferendus est Vergilii, quem tam creberrime a philosopho laudatum esse satis constat, Aen. VI, 425: „ripam inremeabilis undae". In ipso tali loco, quo de irrevocabili ordine fati disserit, citavit Vergilii versus (ep. 88, 15): „agit illa (i. e. sidera) continuus ordo fatorum et inevitabilis cursus. per statas vices remeant et effectus rerum omnium aut movent aut notant; sed sive quicquid evenit, faciunt, quid inmutabilis rei notitia proficiet? sive significant, quid refert providere quod effugere non possis? scias ista, nescias, fient: „Si vero solem ad rapidum stellasque sequentes Ordine respicies, numquam te crastina fallet Hora nec insidiis noctis capiere serenae"[1]); porro nat. qu. II, 35, 2: „fata inrevocabiliter ius suum peragunt ... cursum inrevocabilem ingressa ex destinato fluunt. quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit nec moratur quidem, quia priorem superveniens praecipitat: sic ordinem fati rerum aeterna series rotat, cuius haec prima lex est: stare decreto"; de prov. 5, 7: „fata nos ducunt et quantum cuique temporis restat, prima nascentium hora disposuit ... olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleas, et quamvis magna videatur varietate singulorum vita distingui, summa in unum venit: accipimus peritura perituri". Item apud poetam (Oed. 980): „Fatis agimur: cedite fatis; ... Quicquid patimur mortale genus, Quicquid facimus, venit ex alto, Servatque suae decreta colus Lachesis nulla revoluta manu. Omnia secto tramite vadunt Primusque dies dedit extremum." Inde res sic recte se habet (ep. 117, 22): „nihil mihi videtur turpius quam optare mortem. nam si vis vivere, quid optas mori? sive non vis, quid deos rogas, quod tibi nascenti dederunt? ... homo demens, optas rem tuam! ... deos vitam et salutem roga"; idem sane sentit poeta (H. f. 864 sq.): „Sera nos illo referat senectus, Nemo ad id sero venit ... Quid iuvat durum properare fatum? ... Sis licet segnis, properamus ipsi: Prima quae vitam dedit hora, carpit". Item ep. 26, 4: „incommodum summum est, inquis, minui [et] deperire, et ut proprie dicam, liquescere, non enim subito inpulsi ac prostrati sumus: carpimur, singuli dies aliquid subtrahunt viribus. Et quis exitus est melior quam in finem suum natura solventi

[1]) cf. Verg. Georg. I, 424.

dilabi? non quia aliquid mali [sit] ictus et e vita repentinus excessus, sed quia lenis haec est via, subduci"; ep. 69, 6: „interest nihil illa (i. e. mors) ad nos veniat an ad illam nos". Oed. 980: „Fatis agimur: cedite fatis; Non sollicitae possunt curae Mutare rati stamina fusi"; ibid. 991: „It cuique ratus prece non ulla Mobilis ordo: multis ipsum Metuisse nocet, multi ad fatum Venere suum, dum fata timent". Item ad Marc. 21, 4—6: „dispar cuique vivendi facultas data est. nemo nimis cito moritur, quia victurus diutius quam vixit, non fuit. Fixus est cuique terminus: manebit semper, ubi positus est. nec illum ulterius diligentia aut gratia promovebit. sic habe, nil illum ex consilio perdidisse: tulit suum „Metasque dati pervenit ad aevi".[1]) Non est itaque quod sic te oneres: „potuit diutius vivere". Non est interrupta eius vita nec umquam se annis casus intericit. solvitur quod cuique promissum est. eunt via sua fata nec adiciunt quicquam nec ex promisso semel demunt. frustra vota ac studia sunt: habebit quisque quantum illi dies primus adscripsit"; nat. qu. II, 35, 1: „quid ergo? expiationes procurationesque quo pertinent, si inmutabilia sunt fata? Permitte mihi illam rigidam sectam tueri eorum, qui excipiunt ista et nihil esse aliud quam aegrae mentis solatia existimant. Fata inrevocabiliter ius suum peragunt nec ulla commoventur prece. non misericordia flecti, non gratia sciunt"; de prov. 5, 7: „ideo fortiter omne patiendum est, quia non, ut putamus incidunt cuncta, sed veniunt . . . Quid itaque indignamur? quid querimur? ad hoc parati sumus"; ad Polyb. 4, 1: „diutius accusare fata possumus, mutare non possumus: stant dura et inexorabilia. nemo illo convicio, nemo fletu, nemo causa movet. nihil umquam [parcunt] ulli [nec] remittunt. Proinde parcamus lacrimis nihil proficientibus. facilius enim nos illi dolor iste adiciet quam illum nobis reducet". Denique hoc philosophus et poeta admonent (nat. qu. VI, 2, 9): „egregie Vagellius meus in illo inclito carmine Si cadendum est, inquit, mihi e caelo cecidisse velim. Idem licet dicere: si cadendum est, cadam orbe concusso, non quia fas est optare publicam cladem, sed quia ingens mortis solatium terram quoque videre mortalem"; cf. Thy. 875 sq.: „. . . In nos aetas ultima venit? O nos dura sorte creatos, Seu perdidimus

[1]) cf. Verg. Aen. X, 472.

solem miseri, Sive expulimus. Abeant questus, discede, timor: Vitae est avidus quisquis non vult Mundo secum pereunte mori".

Profecto tamen penitus veritatem intuentes iam cognoscent diram necessitatem quidem legemque mundi inexorabilem, simul vero summam aequitatem esse fatum (H. f. 188/92): „Certo veniunt tempore Parcae. Nulli iusso cessare licet, Nulli scriptum proferre diem: recipit populos urna citatos"; ad Marc. 11, 2: „huc omnis ista, quae in foro litigat, in theatris [desidet], in templis precatur turba dispari gradu vadit. et quae diligis [veneraris] et quae despicis, unus exaequabit cinis"; H. f. 868/72: „Omnis haec magnis vaga turba terris Ibit ad manes facietque inerti Vela Cocyto: tibi crescit omne, Et quod occasus videt et quod ortus. Parce venturis, tibi, mors, paramur". Phoen. 151: „Ubique mors est"; ep. 77, 13: „quantus te populus moriturorum sequetur? quantus comitabitur? fortior, ut opinor, esses, si multa milia tibi commorerentur: atqui multa milia hominum et animalium hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animam variis generibus emittunt. tu autem non putabas te aliquando ad id perventurum, ad quod semper ibas?" Troad. 382/90: „Quicquid sol oriens, quicquid et occidens Novit, caeruleis Oceanus fretis Quicquid bis veniens et fugiens lavat, Aetas Pegaseo corripiet gradu. Quo bis sena volant sidera turbine, Quo cursu properat volvere saecula Astrorum dominus, quo properat modo Obliquis Hecate currere flexibus: Hoc omnes petimus fata"; ad Polyb. 11, 4: „omnes, immo omnia in ultimum diem spectant . . . alio quidem atque alio tempore, omnes tamen in eundem locum tendimus. utrumne stultius sit, nescio, mortalitatis legem ignorare an inpudentius recusare". Porro ep. 123, 16: „mors malum non est: quid sit quaeris? sola ius aequum generis humani"; Troad. 434: „Certe aequa mors est"; nat. qu. II, 59, 4: „hoc nulla diligentia evitat, nulla felicitas donat, nulla potentia evincit. talia varia fors libidine disponit: mors omnes aeque vocat. iratis dis propitiisque moriendum est"; Agam. 510/27: „In vota miseros ultimus cogit timor Eademque superos Troes et Danai rogant. Quid fata possunt! invidet Pyrrhus patri, Aiaci Ulixes, Hectori Atrides minor, Agamemno Priamo; quisquis ad Trojam iacet Felix vocatur, cadere qui meruit gradu, Quem fama servat, victa quem tellus tegit. Nil nobile ausos pontus atque undae ferunt? Ignava fortes fata

consument viros? Perdenda mors est? quisquis es nondum malis Satiate tantis caelitum, tandem tuum Numen serena: odia si durant tua Placetque mitti Doricum exitio genus, Quid hos simul perire nobiscum iuvat, Quibus perimus? sistito infestum mare: Vehit ista Danaos classis, et Troas vehit. Nec plura possunt: occupat vocem mare"; de ira III, 43, 1/2: „quid illum nimis exalto tecum agentem detrahere cupis? quid illum oblatrantem tibi, humilem quidem et contemptum, sed superioribus acidum ac molestum exterrere viribus tuis temptas? Quid servo, quid domino, quid regi, quid clienti duo irasceris? sustine paulum: venit ecce mors quae vos pares faciat. Videre solemus inter matutina arena spectacula tauri et nisi pugnam inter se conligatorum, quos cum alter alterum vexarit, suus confector exspectat: idem facimus, aliquem nobiscum adligatum lacessimus, cum victo victorique finis et quidem maturus inmineat"; ad Marc. 20, 2: „haec (i. e. mors), ubi res communis fortuna male divisit et aequo iure genitos alium alii donavit, exaequat omnia. haec est, post quam nihil quisquam alieno fecit arbitrio. haec est, in qua nemo humilitatem suam sensit"; H. Oet. 671/4: „Sequitur dira lampade Erinys Quarum populi coluere diem, Nec sibi felix pauper habetur Nisi felices[1]) cecidisse videt"[2]); nat. qu. VI, 1, 8: nec desunt, qui hoc genus mortis magis timeant, quo . . . vivi auferuntur, tamquam non omne fatum ad eundem terminum veniat. Hoc habet inter cetera iustitiae suae natura praecipuum, quod cum ad exitum ventum est, omnes in aequo sumus"; Agam. 750/58: „Iuvat per ipsos ingredi Stygios lacus, Iuvat videre Tartari saevum canem Avidique regna Ditis! haec hodie ratis Phlegethontis atri regias animas vehet, Victamque victricemque. vos umbrae, precor, Iurata superis unda, te pariter precor: Reserate paulum terga nigrantis poli, Levis ut Mycenas turba prospiciat Phrygum. Spectate miseri: fata se

---

[1]) Ludit poeta hoc verbo „felix", quo altero loco beatum, altero potentem et divitem significat.

[2]) Ergo mortis cogitatione admonetur homo, ne fallacibus bonis comparatis torqueatur; id quod ne faciat, his quoque locis poeta philosophusque adhortantur (Troad. 1018 sq.): „Tolle felices: miserum, licet sit, Nemo se credet; removete multo Divites auro, removete centum Rura qui scindunt opulenta bubus: Pauperi surgent animi iacentes — Est miser nemo nisi comparatus"; de ira III, 30, 3: „nostra nos sine conparatione delectent; numquam erit felix quem torquebit felicior."

vertunt retro". Agam. 863/6: „Mendax Dardanidae domus Et sensit arcus iterum timendos; Te duce concidit Totidem diebus Troia quot annis;" Agam. 867: „Res agitur intus magna, par annis decem"; nat. qu. VI, 1, 11/12: „omnia eiusdem sortis sunt et, si nondum mota, tamen mobilia: hunc fortassis, in quo securius consistis, locum haec nox aut hic ante noctem dies scindet. Unde scias, an [non] melior eorum locorum condicio sit, in quibus iam vires suas fortuna consumpsit et quae in futurum ruina sua fulta sunt? erramus enim, si ullam terrarum partem exceptam inmunemque ab hoc periculo credimus: omnes sub eadem iacent lege."

Sed haec hactenus! Quamvis tam vario fato mundus regatur, tamen mores viri fortis ac sapientis ex fati rebus haudquaquam pendent. Pront enim quisque se gesserit, aut ad virtutem deique similitudinem accedet ac beatus erit aut suo vitio miser fiet. Profecto his quoque de rebus quod philosophus verbis exponit, idem poeta rebus fabularum demonstrat; cf. ep. 98, 2: „errant enim, Lucili, qui aut boni aliquid nobis aut mali iudicant tribuere fortunam: materiam dat bonorum ac malorum et initia rerum apud nos in malum bonumve exiturarum. valentior enim omni fortuna animus est: in utramque partem ipse res suas ducit beataeque ac miserae vitae sibi causa est. malus omnia in malum vertit, etiam quae cum specie optimi venerant; rectus atque integer corrigit prava fortunae et dura atque aspera ferendi scientia mollit idemque et secunda grate excipit modesteque et adversa constanter ac fortiter."

Eandem poeta opinionem suam fabulis tragoediarum contexuit: ut enim perditos homines non ex fato, quamquam hoc ipsi quidem commenticiis verbis simulant, sed ex moribus peccare supra adumbravimus, ita revera in mala incidere, quae quidem longe plurimis hominibus videntur, bonos viros, qui tamen omnibus incommodis eadem ratione occurrunt, quam philosophus exemplo modo laudato docet quamque diligentius infra cognoscemus, ipsis fabularum rebus tamquam in oculis conspectuque nostro poeta exponit. Qualis bonorum condicionis sane, ut homines quidem putent, nos miserere idoneamque ergo videri talem tragoediae materiem Seneca libere profitetur (de tranq. an. 16, 1): „sequetur pars, quae solet non inmerito contristare et in sollicitudinem adducere, ubi bonorum exitus mali sunt:

ut Socrates cogitur in carcere mori, Rutilius in exilio vivere, Pompeius et Cicero clientibus suis praebere cervicem, Cato ille, virtutum viva imago, incumbens gladio simul de se ac de re publica palam facere. Necesse est torqueri tam iniqua praemia fortunam persolvere: et quid sibi quisque nunc speret, cum videat pessima optimos pati?“ Tamen de prov. 3, 3: „nihil, inquit, mihi videtur infelicius eo, cui nihil umquam evenit adversi. non licuit enim illi se experiri. Ut ex voto illi fluxerint omnia, ut ante votum, male tamen de illo di iudicaverunt: indignus visus est, a quo vinceretur aliquando fortuna, quae ignavissimum quemque refugit, quasi dicat: . . . non opus est in illum tota potentia mea: levi conminatione pelletur. non potest sustinere voltum meum. alius circumspiciatur, cum quo conferre possimus manum: pudet congredi cum homine vinci parato“. Hoc enim respiciendum est (de prov. 4, 2 sq.): „calamitates terroresque mortalium sub iugum mittere proprium magni viri est. semper vero esse felicem et sine morsu animi transire vitam ignorare est rerum naturae alteram partem. Magnus vir es: sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendae virtutis? . . . miserum te iudico, quod numquam fuisti miser. transisti sine adversario vitam. nemo sciet quid potueris. ne tu quidem ipse opus est enim ad notitiam sui experimento. quid quisque posset nisi temptando non didicit“. Faveri ergo a deo hos viros cognoscimus ac, quorum duro fato exagitatorum nos miserendum esse videtur, exempla quae mirari sectarique decet proponuntur (de prov. 4, 12): „quid mirum, si dure generosos spiritus deus temptat? numquam virtutis molle documentum est. verberat nos et lacerat fortuna. patiamur: non est saevitia, certamen est, quod si saepius adierimus, fortiores erimus. solidissima corporis pars est quam frequens usus agitavit: praebendi fortunae sumus, ut contra illam ab ipsa duremur. paulatim nos sibi pares faciat“; et de prov. 3, 4: „idem facit fortuna: fortissimos sibi pares quaerit, quosdam fastidio transit, contumacissimum quemque et rectissimum adgreditur, adversus quem vim suam intendat: ignem experitur in Mucio . . . tormenta in Regulo . . . mortem in Catone. magnum exemplum nisi mala fortuna non invenit“. Itaque nil nisi consentaneum suique simile est philosophum denique in hanc sententiam pervenisse (de prov. 4, 3/4): „itaque quidam

ipsi ultro se cessantibus malis obtulerunt et virtuti iturae in obscurum occasionem per quam enitesceret quaesierunt. Gaudent, inquam, magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam fortes milites bellis. avida est periculi virtus et quo tendat, non quid passura sit, cogitat: quoniam etiam, quod passura est, gloriae pars est, . . . ipsis, inquam, deus consulit, quos esse quam honestissimos cupit, quotiens illis materiam praebet aliquid animose fortiterque faciendi, ad quam rem opus est aliqua rerum difficultate."

Quibus isdem causis permotus poeta „quos esse quam honestissimos cupit" tales reddidit, quales viros bonos philosophus locis modo citatis describit qualesque inveniuntur in tragoediis. Quid ergo miraris, quod, cum Senecam philosophum tragoediarum auctorem fuisse tibi persuaseris, usque eo, ut a sensu humano paene alienum nobis videatur, in describendis duris viraginibus puerisque poeta processit? Talem enim Astyanax puerulus se praestat immolandus (Troad. 1090): „nec gradu segni puer Ad alta pergit moenia. ut summa stetit Pro turre vultus huc et huc acres tulit Intrepidus animo. qualis ingentis ferae Parvus tenerque fetus et nondum potens Saevire dente — iam tamen tollit minas Morsusque inanes temptat atque animis tumet: Sic ille dextra prensus hostili puer Ferox superbe. moverat vulgum ac duces Ipsumque Ulixem. non flet e turba omnium Qui fletur; ac, dum verba fatidici et preces Concipit Ulixes vatis et saevos ciet Ad sacra superos, sponte desiluit sua In media Priami regna". Eadem est Polyxena (Troad. 1148): „ut primum ardui Sublime montis tetigit atque alte edito Iuvenis paterni vertice in busti stetit, Audax virago non tulit retro gradum; Conversa ad ictum stat truci vultu ferox. Tam fortis animus omnium mentes ferit, Novumque monstrum est Pyrrhus ad caedem piger. Ut dextra ferrum penitus exactum abdidit, Subitus recepta morte prorupit cruor Per vulnus ingens. nec tamen moriens adhuc Deponit animos: cecidit ut Achilli gravem Factura terram, prona et irato impetu". Qua virginis constantia ut eo magis moveamur nimirum non ad miserendum, sed ad mirandum eam, insuper id, quod de his rebus spectatorum multitudo sensit, narratur (Troad. 1146): „Movet animus omnes fortis et leto obvius; Pyrrhum antecedit; omnium mentes tremunt, Mirantur ac miserantur."

Simul tamen manifestum est, quantum hanc multitudinis cupiditatem crudelissimorum spectaculorum turpem poeta despiciat; cf. Troad. 1075: „Haec nota quondam turris et muri decus, Nunc saeva cautes, undique adfusa ducum Plebisque turba cingitur: totum coit Ratibus relictis vulgus. his collis procul Aciem patenti liberam praebet loco, His alta rupes, cuius in cacumine Erecta summos turba libravit pedes. Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit Et tota populo silva suspenso tremit. Extrema montis ille praerupti petit, Semusta ac ille tecta vel saxum inminens Muri cadentis pressit, atque aliquis (nefas!) Tumulo ferus spectator Hectoreo sedet. Per spatia late plena sublimi gradu Incedit . . .“; item Troad. 1123: „Adversa cingit campus et clivo levi Erecta medium vallis includens locum Crescit theatri more. concursus frequens Implevit omne litus: hi classis moram Hac morte solvi rentur, hi stirpem hostium Gaudent recidi. magna pars vulgi levis Odit scelus spectatque; nec Troes minus Suum frequentant funus . . .“; de brev. v. 16, 3: „ad occupationem aliquam tendunt et, quod interiacet omne tempus grave est, tam mehercules quam cum dies muneris gladiatorii edictus est, aut cum alicuius alterius vel spectaculi vel voluptatis exspectatur constitutum, transsilire medios dies volunt“; et ad Helv. 6, 2: „adspice agedum hanc frequentiam, cui vix urbis inmensae tecta sufficiunt. ex municipiis et coloniis suis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt. alios adduxit ambitio, alios necessitas officii publici, alios . . . alios spectacula“; porro ep. 7: „quid tibi vitandum praecipue existimem ,quaeris: turbam: nondum illi tuto committeris. ego certe confitebor inbecillitatem meam: numquam mores, quos extuli, refero. aliquid ex eo, quod composui, turbatur. . . . utique quo maior est populus, cui miscemur, hoc periculi plus est. nihil vero tam damnosum bonis moribus quam in aliquo spectaculo desidere: tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. quid me existimas dicere: avarior redeo . . .; immo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui. Casu in meridianum spectaculum incidi lusus exspectans et sales et aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore adquiescant: contra est. quicquid ante pugnatum est, misericordia fuit. nunc omissis nugis mera homicidia sunt.“ — At quid?, occurres nobis, ipsi Senecae poetae nonne saepius a viris

doctis crimini datum est, quod liberis crudeliter in scaena mactatis a Medea illud Horatii praeceptum, quod atrocissimas tales res amare poetas vetat, neglexerit? Quod perverse ac perperam iudicatum esse credimus; sed quid de hac re sentiamus, infra aperiemus.

Quibus rebus insertis nunc ad propositum revertamur: pari modo Seneca ab Aeschylo dissentiente Cassandra moritur. Cum apud Graecum poetam Troianorum fortunam conqueratur, in hac fabula (Ag. 668) „dura virgo patiensque mali" nec per vitam quicquam timuit, semper vero ad mortem paratum animum praebuit (Ag. 659): „Cohibete lacrimas omne quas tempus petet, Troades, et ipsae vestra lamentabili Lugete gemitu funera: aerumnae meae Socium recusant. cladibus questus meis Removete. nostris ipsa sufficiam malis. (741): Quid me vocatis sospitem solam e meis, Umbrae meorum? te sequor testis, pater, Troiae sepultae; frater, auxilium Phrygum, Terrorque Danaum; . . . te sequor, nimium cito Congresse Achilli Troile; incertos geris, Deiphobe vultus, coniugis munus novae? Iuvat per ipsos ingredi Stygros lacus, Iuvat videre Tartari saevum canem, Avidique regna Ditis"; nec minus fortius suorum immemor eadem constantia moritur his verbis exclamatis (Ag. 1004): „Ne trahite, vestros ipsa praecedam gradus. Perferre prima nuntium Phrygibus meis Propero: . . . Nihil moramur, rapite, quin grates ago. Iam, iam iuvat vixisse post Troiam, iuvat". Neque alia res est de virtute Electrae, quae ipsa in summo periculo versata id unum agit, ut Orestis frater amico commendatus servetur (Ag. 925): „Pater peremptus scelere materno iacet . . . Per te parentis memoriam obtestor mei, Per sceptra terris nota, per dubios deos: Recipe hunc Oresten ac pium furtum occule. . . . Excessit, abiit, currus effreno impetu Effugit aciem. tuta iam opperiar meos Hostes et ultro vulneri opponam caput". Item denique Andromacha in Troad. 648: „(scl.: Hectoris) prorutus tumulo cinis Mergetur? ossa fluctibus spargi sinam Disiecta vastis? potius hic mortem oppetat. Poteris nefandae deditum mater neci Videre? poteris celsa per fastigia Missum rotari? potero, perpetiar, feram, Dum non meus post fata victoris manu Iactetur Hector."

Sed pergamus ac quid de utroque Oedipo et Hippolyto iudicandum nobis videatur, patefaciamus. Qui viri non in

molestiis tantummodo versantur velut ei, de quibus modo egimus, sed scelerum participes esse videntur, quae revera sunt crimina secundum philosophi sententiam. Tamen vera virtute eos praeditos finxisse ac bonos esse viros poetam voluisse manifestum est. Inscium enim Oedipum in facinus incidisse, culpam non eius, sed fati esse diligentissime demonstratur (Oed. 709): „Non tu tantis causa periclis, Non hinc Labdacidos petunt Fata, sed veteres deum Irae secuntur". Oedipus ipse, postquam omnino inscius omnes minas poenasque in Laium occidentis caput detestatus est (257sqq.), versu demum 764sqq. incerto quodam sensu vix suspicatur ipsum forte auctorem esse facinoris (Oed. 764): „Curas revolvit animus et repetit metus. Obisse nostro Laium scelere autumant Superi inferique, sed animus contra innocens Sibique melius quam deis notus negat . . ."; idem in Phoen. 203: „Nec ulla pectus hoc culpa attigit. Et hoc magis te, genitor, insontem voca, Quod innocens es dis quoque invitis" et Phoen. 244: „Fata quis tam tristia Sortitus umquam? videram nondum diem . . . Et iam timebar. Sed numquid et peccavit? abstrusum, abditum Dubiumque an essem, sceleris infandi reum Deus egit; illo teste damnavit parens". Nec vero secus innocentem Hippolytum esse, quicumque legerit fabulam, concedet. — Sed ad id accedamus, quod summam rei continet. Neque enim illa solum, sed inprimis hac Annaeana perspicua ratione mores horum virorum ut innocentium describuntur: Cum maleficorum sit, ut supra explicavimus, culpam scelerum, quam ipsorum esse cuivis manifestum est, a se amovere, hi boni viri si quicquam tantummodo sibi videntur peccasse quamvis integri, tamen vehementissime sese vituperant poenasque sibi expetunt; nonne tibi mirum atque alienum videtur hoc, quod poeta, ut honestorum mores describat, libentissime quidem instituit? Idem tamen sentit Seneca philosophus de v. beata 2, 2: „bonus animus, si umquam respirare illi et recedere in se vacaverit, o quam sibi ipse verum tortus a se fatebitur ac dicet: quicquid feci adhuc, infectum esse mallem. quicquid dixi, cum recogito, mutis invideo. quicquid optavi inimicorum exsecrationem puto . . .: mihi ipsi nondum amicus sum"; etiam magis de ira II, 28, 1: „si volumus aequi rerum omnium iudices esse, hoc primum nobis persuadeamus, neminem nostrum esse sine culpa. hinc enim maxima indignatio oritur „nihil peccavi"

et „nihil feci". immo nihil fateris"; porro cf. de ira II, 31, 3. Sed fabulas excutiamus: In Phaedrae fabula Hippolytus, quamvis purissimus, tamen se vehementer accusat; nutrix de eo hoc pronuntiat Ph. 437: „Sed tu beatis mitior rebus veni: Namque anxiam me cura sollicitat tui, Quod te ipse poenis gravibus infestus domas"; Hip. ipse in Phaed. 680: „Cur dextra divum rector atque hominum, vacat Tua nec trisulca mundus ardescit face? In me tona, me fige, me velox cremet Transactus ignis — sum nocens, merui mori: Placui novercae". Pari modo Oedipus, qui in Oedipi fabula in scaenam prodit: quamvis item primo tam innocentem se sensisse supra viderimus, ut gravissimum quid sit in illius perditi auctoris caput detestetur, tamen re patefacta se nocentem fingit atque oculis effossis crimen expiat (Oed. 916): „Se scelere convictum Oedipus Damnavit ipse"; Oed. 1042: „Fatidice te, te praesidem et veri deum, Compello: solum debui fatis patrem; Bis parricida plusque quam timui nocens Matrem peremi: scelere confecta est meo. O Phoebe mendax, fata superavi impia"; denique nuntius (Oed. 973): „quicquid effosis male Dependet oculis rumpit, et victor deos Conclamat omnis: parcite, en, patriae precor: Iam iusta feci, debitas poenas tuli". Quem ad locum cf. de prov. 6, 6: „at multa incidunt tristia, horrenda, dura toleratu. Quia non poteram vos istis subducere, animos vestros adversus omnia armavi: ferte fortiter. hoc est, quo deum antecedatis: ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam".

Ac profecto quidem eundem in Phoen. fabula se praebet Oedipus (Phoen. 158): „Totus nocens sum: qua voles mortem exige. Effringe pectus corque tot scelerum capax Evelle"; ibid. 167: „Non ego hoc tantum scelus Ulla expiari credidi poena satis Umquam, nec ista morte contentus fui, Nec me redemi parte: membratim tibi Perire volui — debitum tandem exige"; Phoen. 216: „Me fugio, fugio conscium scelerum omnium Pectus, manumque hanc fugio et hoc caelum et deos. Ego hoc solum, frugifera quo surgit Ceres Premo? has ego auras ore pestifero traho? Ego laticis haustu satior aut ullo fruor Almae parentis munere? . . ."; item ibid. 46 sqq. Hic tamen multo graviorem quam mortis poenam suscipit: vitam ipsam. Quantocumque enim vitae fastidio affectus est, cum — proprium vere Annae-

anum! — non „frivolis causis“ (cf. ep. 4, 4; de tranq. an. 2, 15), sed novorum criminum timore perficiendorum cogatur, ut mortem voluntariam praeferat (Phoen. 48): „Nullum facere iam possum scelus? Possum miser, praedico — discede a patre, Discede, virgo. timeo post matrem omnia“ et ibid. 303: „Scio quo ferantur, quanta moliri parent, Ideoque leti quaero maturi viam Morique propero, dum in domo nemo est mea Nocentior me“, tamen non sua causa, sed sola Antigonae egregiae pietate permotus summum proficit, cum non solum mortem, sed maius vitae supplicium despiciat (Phoen. 308 sq.): „Unum hoc habet fortuna quo possim capi, Invictus aliis: sola tu affectus potes Mollire duros, sola pietatem in domo Docere nostra. nil grave aut miserum est mihi Quod te sciam voluisse. tu tantum impera: Hic Oedipus Aegaea transnabit freta Iubente te, . . . Iubente te praebebit alitibus iecur, Iubente te vel vivet“; cf. ep. 24, 24/25: „confirmabis animum vel ad mortis vel ad vitae patientiam. at in utrumque monendi ac firmandi sumus, et ne nimis amemus vitam et ne nimis oderimus, etiam cum ratio suadet finire. . . . vir fortis ac sapiens non fugere debet e vita, sed exire, et ante omnia ille quoque vitetur adfectus, qui multos occupavit, libido moriendi“.

Denique cunctis his philosophiae artificiis Herculis virtus depingitur: primum omnem culpam Iunonis esse, nullam Herculis diligentissime aperitur; neque enim casu accidit, ut longo primae Herculis fabulae prologo poeta effecerit, ut Iuno sese esse profiteatur, quae ira invidiaque impulsa illis Furiis ex inferis egredientibus contra eum incitatis fortissimum sceleribus, impietate, erroribus, furore afficiat (H. f. 85 sq.): „bella iam secum gerat Adsint ab imo Tartari fundo excitae Eumenides, ignem flammeae spargant comae, Viperea saevae verbera incutiant manus. I nunc, superbe, caelitum sedes pete, Humana temne. iam Styga et manes ferox Fugisse credis? hic tibi ostendam inferos Revocabo in alta conditam caligine, Ultra nocentum exilia, discordem deam . . . Educam et imo Ditis e regno extraham Quicquid relictum est: veniet invisum Scelus Suumque lambens sanguinem Impietas ferox Errorque et in se semper armatus Furor Hoc, hoc ministro noster utatur dolor. . . . (117) stabo, et ut certo exeant Emissa nervo tela, librabo manu, Regam furentis arma“. Neque alia causa permotus accuratissime multis-

que verbis poeta tractat, qua ratione subito inscium furor occupet magis magisque incitet in aliena crimina patranda, a quibus sanum maxime abhorrere quisque haud ignorat. Insuper autem chorus hoc pronuntiat (H. fu. 1097): „Solus te iam praestare potest Furor insontem: proxima puris Sors est manibus nescire nefas“; et ipse probissimus haec perspicua verba (scelere perfecto) ibid. 1147: „nescio quod mihi, Nescio quod animus grande praesagit malum“; et Amphitryon ibid. 1200: „luctus est istic tuus, Crimen novercae: casus hic culpa caret“.

Porro vero ille nimius pudor, qualem iam supra Hippolytis Oedipisque inesse vidimus, permovet alieno furore relictum, ut tamquam conscium sceleris sese capitis damnet (H. fu. 1240): „Non sic furore cessit exstinctus pudor, Populos ut omnes impio aspectu fugem. Arma, arma, Theseu, flagito propere mihi Subtracta reddi. . . . mortis inveniam viam. (1258) Cur animam in ista luce detineam amplius Morerque nihil est: cuncta iam amisi bona, . . . nemo polluto queat Animo mederi: morte sanandum est scelus. (1267) Veniam dabit sibi ipse, qui nulli dedit? Laudanda feci iussus: hoc unum meum est. Succurre, genitor; sive te pietas movet Seu triste fatum sive violatum decus Virtutis: effer arma; vincatur mea Fortuna dextra“.

Sed ut ad tertium veniamus, eodem artificio, quo poetam secundum philosophi sententiam in Phoenissarum fabula iam usum esse cognovimus, hic a morte retinetur: neque enim nisi ne sua morte patrem occidat, mortis libertate proiecta vitam culpae fictae conscientia agitatam suscipit: Pater inquit H. fu. 1308: „Aut vivis aut occidis, hanc animam levem Fessamque senio nec minus fessam malis In ore primo teneo. tam tarde patri Vitam dat aliquis? non feram ulterius moram, Laetare! ferro pectus impresso induam: Hic, hic iacebit Herculis sani scelus“. Tum Herc.: „Iam parce, genitor, parce, iam revoca manum. Succumbe, virtus, perfer imperium patris. Eat labores hic quoque Herculeos labor: Vivamus“.

Quartum denique illis tribus quae sunt rerum regnis devictis atque omnibus vitae incommodis perlatis, ut ne se quidem, sed deos hominesque obnoxiis monstris liberet, clarissima beneficia mundo donat; e magno exemplorum numero haec tantummodo afferantur (H. Oet. 16 sq.): „omne concessit malum Quod terra genuit, pontus aer inferi: Nullus per urbes errat

Arcadias leo, Stymphalis icta est, Maenali nulla est fera; Sparsit peremptus aureum serpens nemus Et hydra vira posuit et notos Hebro Cruore pingues hospitum fregi greges Hostisque traxi spolia Thermodontiae. Vidi silentum fata nec tantum redi, Sed trepidus atrum Cerberum vidit dies Et ille solem. nullus Antaeus Libys Animam resumit, cecidit ante aras suas Busiris, una est Geryon sparsus manu Taurusque populis horridus centum pavor. Quodcumque tellus genuit infesta occidit Meaque fusum est dextera: iratis deis Non licuit esse".

Pergitur insuper ita (H. Oet. 63sq.): „sed quid inpavidum genus Fecisse prodest? non habent pacem dei: Purgata tellus omnis in caelo videt Quodcumque timuit: transtulit Iuno feras. Ambit peremptus cancer ardentem plagam . . . Invasit omnis ecce iam caelum fera Meque antecessit: victor e terris meos Specto labores, astra portentis prius Ferisque Iuno tribuit, ut caelum mihi Faceret timendum. sparserit mundum licet Caelumque terris peius ac peius Styge Irata faciat, dabitur Alcidae locus". Quibus versibus non solum Hercules de istis monstris, sed ipsa vera virtus Annaeana de fabulosis inferorum, terrarum, caeli monstris longaque superstitione traditis triumphare nonne tibi videtur? Quamvis expressis verbis philosophus haec portentosa caeli signa, quibus spectacula siderum pulchritudine clarissima obscurari dicuntur, nullo loco repellat, omnia tamen haec verba, si quaepiam, e philosophi ingenio pronuntiantur; quid enim? quaeris; quis est, qui „dabitur Alcidae locus?" (de otio 5,4): „Ut scias illam (i. e. formosam caeli naturam) spectari voluisse, non tantum adspici, vide quem nobis locum dederit: in media nos sui parte constituit et circumspectum omnium nobis dedit. nec erexit tantummodo hominem, sed etiam habilem contemplationem factura, ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset et voltum suum circumferre cum toto, sublime fecit illi caput et collo flexili inposuit. deinde sena per diem, sena per noctem signa perducens nullam non partem sui explicuit, ut per haec, quae obtulerat oculis eius cupiditatem faceret etiam ceterorum". Atque etiam philosophum, si quae sequuntur verba perlegerimus, summo exardescente inflammatum desiderio animique divini elatione adeo impulsum cognoscemus, ut caelestia dei regna adipisci sibi videatur (de otio 5, 5): „nec enim omnia nec tanta visimus quanta sunt, sed acies nostra

aperit sibi investigandi viam et fundamenta vero iacit, ut inquisitio transeat ex apertis in obscura et aliquid ipso mundo antiquius, unde ista [sidera] exierint. quis fuerit universi status, antequam singula in partes discederent. quae ratio mersa et confusa diducerit. quis loca rebus adsignaverit. . . . an illud verum sit, quo maxime probatur homines divini esse spiritus, partem ac veluti scintillas quasdam sacrorum in terram resiluisse atque alieno loco haesisse. Cogitatio nostra caeli munimenta perrumpit nec contenta est id, quod ostenditur, scire: illud, inquit, scrutor, quod ultra mundum iacet, utrumne profunda vastitas sit an et hoc ipsum terminis suis cludatur...“ Item Herculis virtus caelum petit, item ipsa parat viam, item, cum „nato patrem vel astra forti reddi“ iubeat, homines divini esse spiritus, partem ac veluti scintillas quasdam sacrorum in hominum corporibus versatas credit atque haec Annaei Senecae verba probat (ep. 92, 30): „Sed si cui virtus animusque in corpore praesens, hic deos aequat. illo tendit originis sui memor. nemo inprobe eo conatur adscendere, unde descenderat. Quid est autem cur non existimes in eo divini aliquid exsistere, qui dei pars est? totum hoc, quo continemur, et unum est et deus. et socii sumus eius et membra. capax est noster animus. perfertur illo, si vitia non deprimant“; cf. H. Oet. 31 sq.: „Redde nunc nato patrem Vel astra forti. nec peto ut monstres iter; Permitte tantum, genitor: inveniam viam“. Invenit igitur viam „originis sui memor“ sola ex virtute sua animoque eo unde ortus sit se redire conscio; cf. ep. 86, 1: „Scipionis Africani . . . animum quidem in caelum ex quo erat redisse persuadeo mihi“ et ep. 92, 31: „non aliena via ad summa nititur. magnus erat labor ire in caelum: redit. cum hoc iter nanctus est, vadit audaciter contemptor omnium“.

Haec igitur quae modo extrema verba commemoramus atque hoc respicias philosophi testimonium (de clem. I, 1): „quamvis enim recte factorum verus fructus sit fecisse, nec ullum virtutum pretium dignum illis extra ipsas sit, iuvat inspicere et circumire bonam conscientiam, tum inmittere oculos in hanc inmensam multitudinem discordem, seditiosam, inpotentem, in perniciem alienam suamque pariter exsultaturam, si hoc iugum fregerit, et ita loqui secum: Egone ex omnibus mortalibus placui electusque sum, qui in terris

deorum vice fungerer? ego vitae necisque gentibus arbiter? qualem quisque sortem statumque habeat, in manu mea positum est? . . .“, ne credas nefas fecisse Herculem, quod „contemptor omnium“ laetus divina merita sua gloriatur (H. Oet. 38 sq.): „in tutum meas Laudes redegi, nulla me tellus silet: Me sensit ursae frigidum Scythicae genus Indusque Phoebo subditus, cancro Libys; Te, clare Titan, testor: occurri tibi Quacumque fulges . . .“ vel H. Oet. 1 sq.: „Sator deorum, protuli pacem tibi Quacumque Nereus porrigi terras vetat. Non est tonandum: perfidi reges iacent, Saevi tyranni. fregimus quicquid fuit Tibi fulminandum“. Suo iure enim ita dixisse Herculem testatur Deianira, quam magno viro mortem parasse sero paeniteat, his quidem verbis (H. Oet. 871): „Coite, gentes, saxa et inmensas faces Iaculetur orbis, nulla nunc cesset manus, Corripite tela, vindicem vestrum abstuli: Impune saevi sceptra iam reges gerent, Impune iam nascetur indomitum malum; Repetentur arae cernere assuetae hostiam Similem colenti: sceleribus feci viam Ego vos tyrannis regibus monstris feris Saevisque rapto vindice opposui deis.“

At ultra vadit Hercules, ut est tanta virtute praeditus a poeta quidem ficta, ut ipse etiam mundi esse ordo, quo omnia continentur, sibi videatur; cum universi mundi ruina securum se rapi sibi sumit (H. Oet. 1131 sq.): „Converte, Titan clare, anhelantes equos, Emitte noctem: pereat hic mundo dies Quo morior, atra nube inhorrescat polus; Obsta novercae. nunc, pater, caecum chaos Reddi decebat, hinc et hinc conpagibus Ruptis uterque debuit frangi polus; Quid parcis astris? Herculem amittis, pater ... Ad Styga revertor: surget Enceladus ferox Mittetque quo nunc premitur in superos onus; Regnum omne, genitor, aetheris dubium tibi Mors nostra faciet — antequam spolium tui Caelum omne fiat, conde me tota, pater, Mundi ruina, frange quem perdis polum; (chorus:) Non vana times, gnate Tonantis Nunc Thessalicam Pelion Ossam Premet ... Iam te caeli regna secuntur“; cf. l. l. nat. qu. VI, 32, 4: „pusilla res est hominis anima, sed ingens res contemptus animae: hanc qui contempsit, securus videbit maria turbari, . . . etiamsi aestus aliqua perturbatione mundi totum in terras verterit oceanum. securus adspiciet fulminantis caeli trucem atque horridam faciem, frangatur licet caelum et . . . securus adspiciet

ruptis conpagibus dehiscens solum, illa licet inferorum regna retegantur. stabit super illam voraginem intrepidus et fortasse quo debet cadere, desiliet". Praeterea autem hoc respice (ad Marc. 26, 7): „nos quoque felices animae et aeterna sortitae, cum deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis et ipsae parva ruinae ingentis accessio in antiqua elementa vertemur".

Attamen Hercules, quamquam modum non iam egreditur, ultimos magnanimitatis terminos tangit; nam Seneca, quantacumque animi spe atque impetu nonnumquam inflammatus est, hoc profitetur (l. l. de otio 5, 7): „tamen homo ad inmortalium cognitionem nimis mortalis est". Inde fit, ut etiam vir fortissimus, postquam somnia eum iam inter astra versari simulaverunt, denuo doloribus excitatus terrestria mala eo gravius patiatur (H. Oet. 1432 sqq.): „Quid hoc? rigenti cernitur Trachin iugo, En inter astra positus evasi genus Mortale tandem. quis mihi caelum parat? Te, te pater, iam video, placatam quoque Specto novercam. . . . — iam prope a caelo fui — Trachina video; quis mihi terras dedit? . . . quam beve excideras, dolor! Cogis fateri — parce, et hanc vocem occupa". Neque idem poetae artificium, quo haec eadem opponuntur inter se contraria, philosophus nescit; cf. ep. 102, 1 sq.: „quomodo molestus est iucundum somnium videnti, qui excitat, aufert enim voluptatem, etiamsi falsam, effectum tamen verae habentem: sic epistula tua . . . revocavit me cogitationi aptae traditum . . .; iuvabat de aeternitate animarum quaerere, immo mehercules credere. . . , cum subito expergefactus sum epistula tua accepta et tam bellum somnium perdidi".

Nihilo secius hoc uno desiderio primo summoque Hercules afficitur, ut fortiter moriendo aeternitatem paret: nam H. Oet. 1713: „Ut dignus astris videar, hic faciet dies; Leve est, quod actum est; Herculem hic, genitor, dies Inveniet aut damnabit"; cf. ep. 102, 24: „nondum caelum nisi ex intervallo pati possumus; proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice: non est animo suprema, sed corpori"; et ep. 26, 4: „ego certe, velut adpropinquet experimentum et ille laturus sententiam de omnibus annis meis dies venerit, ita me observo . . . (§ 6) remove existimationem hominum; dubia semper est et in partem utramque dividitur. remove studia tota vita tractata: mors de te pronuntiatura est". Itaque magno cum verborum ambitu

Hercules, qui vivus uritur, a poeta depingitur. Nam cf. de tranq. an. 16, 4: „Ego Herculem fleam, quod vivus uritur, aut Regulum, quod tot clavis transfigitur, aut Catonem, quod volnera sua iterat? Omnes isti levi temporis inpensu invenerunt, quomodo aeterni fierent, et ad immortalitatem moriendo venerunt".

Maxime autem hoc sane Annaeano artificio Herculis constantia exponitur, ut vir fortissimus et ultimis suppliciis discruciatus ipse alios adhortetur (H. Oet. 1740/55): „Inter vapores positus et flammae minas Immotus, inconcussus, in neutrum latus Correpta torquens membra adhortatur, monet, Gerit aliquid ardens. omnibus fortem addidit Animum ministris; urere ardentem putes. Stupet omne volgus, vix habent flammae fidem, Tam placida frons est, tanta maiestas viro". Ac si penitus in Senecae pectus descendere vis, eadem, quae de ipsius Senecae morte Tacitus tradidit, legas (Tacit. annal. XV, 62): „interritus ... conversus ad amicos, quando ... quod unum iam et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae relinquere testatur, cuius si memores essent, bonarum artium famam fructum constantis amicitiae laturos. simul lacrimas eorum modo sermone, modo intentior in modum coercentis ad firmitudinem revocat, rogitans ubi praecepta sapientiae, ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia?" Non solum verbis, sed ipsa viri constantia alii admonentur (H. Oet. 1683): „Quis sic triumphans laetus in curru stetit Victor? quis illo gentibus voltu dedit Leges tyrannus? quanta pax habitum tulit! Haesere lacrimae, cecidit impulsus dolor Nobis quoque ipsis, nemo periturum ingemit"; cf. l. l. de trq. an. 16, 4: „neminem flebo laetum, ... lacrimas meas ipse abstersit". Item H. Oet. 1688: „Iam flere pudor est; ipsa quam sexus iubet[1]) Maerere, siccis haesit Alcmene genis Stetitque nato paene iam similis parens". Ad extremum simillimis verbis Hercules matrem alloquitur, quibus philosophus Helviam matrem (H. Oet. 1738): „Nunc es parens Herculea: sic stare ad rogum Te, mater, inquit, sic decet fieri Herculem"; cf. ad Helv. 16, 5: „non potes itaque ad obtinendum dolorem muliebre nomen praetendere, ex quo te virtutes tuae seduxerunt. tantum debes a feminarum lacrimis abesse, quantum a vitiis".

[1]) cf. de ira III, 24, 3: „excuset feminam sexus": ceterum cf. exempla, quae pag. 13 contulimus.

Profecto summa quae potest exsistere constantia Herculi insit; nam H. Oet. 1506: „Quin ipse, quamquam Iuppiter, credi meus Pater esse gaudet"; et 1693: „Iacuit sui securus et caelum intuens Quaesivit oculis, parte an ex aliqua pater Despiceret illum. tum manus tendens ait: Quacumque parte prospicis natum pater . . ."; cf. de prov. 2, 7: „miraris tu, si deus ille bonorum amantissimus, qui illos quam optimos esse atque excellentissimos vult, fortunam illis cum qua exerceantur adsignat? ego vero non miror. Si aliquando impetum capiunt, spectant di magnos viros conluctantes cum aliqua calamitate". Inde summam virtutis praemium Hercules adipiscitur, cf. fragm. 27 (Lactant. instit. III, 12, 11): „Seneca quoque imprudens incidit, ut fateretur nullum esse aliud virtutis praemium quam immortalitatem. laudans enim virtus in eo libro, quem de inmatura morte conscripsit. „una", inquit, „res est virtus, quae nos immortalitate donare possit et pares diis facere"; H. Oet. 1942: „iam virtus mihi In astra et ipsos fecit ad superos iter"; (1971) „Virtus in astra tendit, in mortem timor"; (1975) „Me iam decet subire caelestem plagam"; (1980) „Es numen et te mundus aeternum tenet"; (1983:) „Numquam Stygias fertur ad umbras Inclita virtus: vivunt fortes Nec Lethaeos saeva per amnes Vos fata trahent, sed cum summas Exiget horas consumpta dies, Iter ad superos gloria pandet".

Quali fine huic fabulae imposito cum Hercules illi Medeae, quam his extremis verbis Iason alloquitur (Med. 1026): „Per alta vade spatia sublimi aethere, Testare nullos esse, qua veheris, deos", quam maxime oppositus sit, clarissime duae sane illae Annaeanae philosophiae rationes in tragoediis quoque patent, quas per omnes singulas partes hac dissertatione persecuti sumus: revera nequitiam, quamvis mira ratione in sublimem aethera turpissimam istam mulierem vehi fabulae ferant, tantum a dis abigere, quantum sola virtus, deridendi licet Claudii crudelissimique Caligulae „caeli scrutentur plagas deique fieri" sibi videantur, veram in divinitatem perducat.

Priusquam nunc omnia quae attulimus testimonia complectimur, hoc loco, cum potius disceptare nostrum sit quae cunctis tragoediis ratio insit quam quis singularum auctor fuerit, de

origine tragoediarum num quid testimoniis e philosophiae supellice desumptis sit diiudicandum, paucissima intericere liceat.

Profecto et nonnullis locis diserte et in universum cunctis sententiis per totam philosophiae imaginem aptissime inter se consentientibus demonstravimus non poetam quidem fabulas suas apparatu philosophiae eoque ex aliena domo correpto affecisse, sed philosophum ex suo ingenio nixum sane rhetorica facultate, quae ut cuique humanitate litterisque imbuto illius temporis, ita Senecae rhetoris filio inerat, fabulis suas sententias, quas de istis fabulosis rebus animo habebat, intexuisse. Id quod leviter a contrario explicabitur, ubi tragoediam „Octavia“ inscriptam, cuius auctor iisdem philosophiae placitis omnino perverso usus est, respexeris. Etenim quod summum tragoediae auctor sibi proposuit[1]), omnino ab Annaeana ratione alienum esse infra exponetur. Qua fabula auctor, si quidem id efficere voluit, ut Octaviae misereamur, Octaviam quam potuit purissimam atque excellentem moribus se praebentem fingere debuit; tamen revera maleficae sincerae, qualem in ceteris fabulis Annaeum Senecam in scaenam produxisse demonstravimus, omni adversarum rerum culpa in Agrippinam (cf. Oct. 21 sqq.), in Claudium (141 sqq.), in Neronem (240 sqq.), ipsosque in deos (257 sqq.) amota simillima est. Nec porro fortem aut ullo modo aptam ad fatum ferendum se praebet (899/902, a. l.), sed usque eo procedit, ut tales miserabiles voces pronuntiet (914 sqq.): „Quis mea digne deflere potest Mala? quae lacrimis nostris questus Reddere aedon? cuius pennas Utinam miserae mihi fata darent! Fugerem luctus ablata meos Penna volucri procul et coetus Hominum tristes caedemque feram. Sola in vacuo nemore et tenui Ramo pendens querulo possem Gutture maestum fundere murmur“. At Hippolytus, occurres fortasse nobis, similiter a coetu hominum in vacuas silvas fugit. Fugit quidem, haud ignoramus; nec vero, ut incommoda, quae fortiter perferre decebat, indigne vitet solusque, sicut ista Octavia, miserabilibus vocibus sese lamentetur, sed ne scelere contaminetur purissimus vir.

[1]) Afferamus tantummodo verba, quae Ranke profitetur op. cit. pag. 66: „Das Werk beruht ganz auf der Sympathie mit dem augusteischen Hause, welches durch den Tod der Octavia gleichsam vernichtet wird, in Widerspruch mit allen göttlichen und menschlichen Gesetzen und zugleich mit den Wünschen des Volkes.“

Sed omittamus haec ac potius, ut nunc denique ad quaestionem, quam supra de ratione atque indole tragoediarum solvendam nobis proposuimus, veniamus, animos ad illa verba revocemus, quae M. Haupt, acutissimus populorum cuiuscumque poesis arbiter, de his tragoediis dixit (opusc. III, 218): „Aber wenn man sich nicht bedenken darf, einen guten Teil der römischen Poesie mittelmäßig zu nennen, so soll man doch ihre weltgeschichtliche Bedeutung nicht verkennen: denn zunächst und lange wesentlich durch sie ist antike Würde, Klarheit, Schönheit der anderen Zeit erschlossen worden, und ihre Einwirkung läßt sich nachweisen, wo ungeschichtliche Betrachtung ihrer nicht gewahr wird: in dem tragischen Stile Shakespeares[1]) und seiner englischen Zeitgenossen bewundert man vieles, was Nachklang ist aus den Tragödien Senecas, die zu verachten heutzutage vornehm ist. In der römischen Poesie, die er sich völlig angeeignet hatte, fand Leibniz[2])

[1]) Quod ad quaestionem operam attinet, hos duos tantummodo locos afferre liceat Darwini, naturae perscrutatoris clarissimi (Der Ausdruck der Gemütsbewegungen b. M. u. T., übers. v. Th. Bergfeldt) pag. 239: „Shakespeare faßt die Hauptmerkmale der Wut folgendermaßen zusammen: In Frieden kann sowohl nichts einen Mann Als Demut und bescheidne Sitte kleiden; Doch bläst des Krieges Wetter euch ins Ohr, Dann ahmt dem Tiger nach in seinem Tun; Spannt eure Sehnen, ruft das Blut herbei! Entstellt die liebliche Natur mit Wut! Dann leiht dem Auge einen Schreckensblick. Nun knirrscht die Zähne, schwellt die Nüstern auf, Den Atem hemmt, spannt alle Lebensgeister Zur vollen Höh'"; (cf. Heinrich V, 3, 1). Inprimis vero cf. pag. 33: „Ist unser Gemüt stark erregt, so sind es die Bewegungen unseres Körpers gleichfalls; hier kommt aber neben der Gewohnheit noch teilweise ein anderes Moment ins Spiel, der ohne Leitung zuströmende Überschuß von Nervenkraft nämlich. Norfolk, wo er von dem Kardinal Wolsey spricht, sagt: „Seltsamer Aufruhr Ist ihm im Hirn: er beißt die Lippe, starrt; Hält plötzlich an den Schritt, blickt auf die Erde, Legt dann den Finger an die Schläfe; stracks, Springt wieder auf, läuft schnell, steht wieder still, Schlägt heftig seine Brust; und gleich darauf wirft er die Augen auf zum Mond: Seltsame Stellung Sahn wir hier an ihm wechseln"; (cf. Heinrich VIII, 3, 2). In memoriam quaesumus revoces, quae exempla Medeae supra pag. 20 et 21 attulimus, ut non solum cognoscas, quae tanta intercedat similitudo inter Romanum poetam et Britannicum, sed etiam, quam vehementer Darwin Britannici poetae versibus hominum affectus ab Annaeo Seneca descriptos laudet.

[2]) Leibnizium Stoicorum philosophiae crebrius favisse demonstravit P. Barth, Die Stoa, Stuttg. 1903, pag. 184sq., 52.

lebenslang Erquickung und er hatte in ihr eine reiche Fundgrube sinnreicher Anspielungen und kräftiger Sprüche."

Si revera ne inter illa quidem litterarum Romanarum opera, quae quamquam modice tamen laudanda videntur, L. Annaei Senecae tragoediae numeratae sunt, sed omnino despectae, id ex ea potissimum causa supra repetivimus, quod quae in tragoediis sibi proposuit ex philosophi ingenio hausisse auctorem, viri docti non satis respexerunt; haec quae adhuc neglecta erant, hoc opusculo explere conati sumus.

Oratoria enim ornamenta, quae plane tragoediarum formae quidem extrinsecus impressa sunt, temporibus magis ac patris rhetoris consiliis culpae danda sunt quam in filii caput cadunt, cum hic, quamvis pater invitum tali modo admonuerit (controvers. II, praef. 4): „orat quidem tibi maius ingenium quam fratribus tuis, omnium bonarum artium capacissimum . . . sed proderit tibi in illa, quae tota mente agitas, declamandi exercitatio, sicut Fabiano profuit: qui <ut> aliquando Sextium audiret, nihilominus declamitabat et tam diligenter, ut putares illum illi studio parari, non per illud alteri praeparari", sua studia quibus a puero maxime delecteretur, ad philosophiam spectare crebrius profiteatur (ep. 108, 13 sq.): „ego certe cum Attalum audirem, in vitia, in errores, in mala vitae perorantem, saepe misertus sum generis humani et illum sublimem altioremque humano fastigio credidi; (17) quoniam coepi tibi exponere quanto maiore inpetu ad philosophiam iuvenis accesserim quam senex pergam" — Quamvis vir et senex plurimos illos libros ad philosophiam pertinentes scripserit, quos nunc traditos habemus! —, „non pudebit fateri, quem mihi amorem Pythagorae iniecerit Sotion. dicebat, quare ille animalibus abstinuisset, quare postea Sextius; (23) laudare solebat Attalus culcitam, quae resisteret corpori: tali utor etiam senex, in qua vestigium adparere non possit. Haec rettuli, ut probarem tibi, quam vehementer haberent tirunculi inpetus primos ad optima quaeque, si quis exhortaretur illos, si quis inpelleret".

Utique patri quidem antiquae Romanorum forensi atque oratoriae consuetudini potissimum indulgenti invisa fuisse omnia quidem litterarum ac philosophiae studia, filium vero diligentius ab istis poeticis studiis, quibus ad luxuriam instruuntur homines quaeque nimirum contemnebat, sua litterarum studia discrevisse,

quibus ad sapientiam utebatur, optime ex his eius verbis cognoscitur (ad Helv. 17, 3/5): „quantum tibi patris mei antiquus rigor permisit, omnes bonas artes non quidem comprehendisti, adtigisti tamen. Utinam quidem virorum optimus, pater meus, minus maiorum consuetudini deditus voluisset te praeceptis sapientiae erudiri quam inbui! non parandum tibi nunc contra fortunam esset auxilium, sed proferendum: propter istas, quae litteris non ad sapientiam utuntur, sed ad luxuriam instruuntur, minus te indulgere studiis passus est. ... Haec quidem certissima praesidia sunt et quae sola te fortunae eripere possint.“ Nequaquam vero Euripide docente ignorabat veritatem non tortuosis disputationibus implicatam, sed simplicem purissimamque esse pronuntiandam (ep. 49, 12): „de iustitia mihi, de pietate disputa, de frugalitate, de pudicitia utraque, et illa, cui alieni corporis abstinentia est, et hac, cui sui cura. Si me nolueris per devia ducere, facilius ad id, quo tendo, perveniam. nam, ut ait ille tragicus[1]): „veritatis simplex oratio est. ideoque illam inplicare non oportet: nec enim quicquam minus convenit quam subdola ista calliditas animis magna conantibus.“

Noli autem mirari, quod summos illos Graecorum tragicos poetas de quaestionibus ad philosophiam moralem atque etiam naturalem pertinentibus adiit (nat. qu. 4, 2, 17): „sed nunc ad inspiciendas causas, propter quas aestate Nilus crescat, accedam et ab antiquissimis incipiam. Anaxagoras ait ex Aethiopiae iugis solutas nives ad Nilum usque decurrere. in eadem opinione omnis vetustas fuit. hoc Aeschylus, Sophocles, Euripides tradunt. Sed falsum esse pluribus argumentis patet“. Dicit enim Seneca ep. 108, 29/35: „non est quod mireris ex eadem materia suis quemque studiis apta colligere: in eodem prato bos herbam quaerit, canis leporem, ciconia lacertam. Cum Ciceronis librum de republica prendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philosophiae deditus, alius alio curam suam mittit: philosophus admiratur contra iustitiam dici tam multa potuisse“. — Tantum igitur aberat, ut Annaeus Seneca Octaviam componeret, ut his manifestis verbis etiam condemnaret! — „... Sed ne et ipse, dum aliud ago, in philologum aut grammaticum delabar, illud admoneo, auditionem philosophorum lectionem-

[1]) cf. Eurip. Phoen. 469: „ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ, κοὐ ποικίλων δεῖ τἄνδιχ' ἑρμηνευμάτων.“

que ad propositum beatae vitae trahendam, non ut verba prisca aut ficta captemus et translationes inprobas figurasque dicendi, sed ut profutura praecepta et magnificas voces et animosas, quae mox in rem transferantur: sic ista ediscamus, ut quae fuerint verba, sint opera."

Inde ut hoc epistulae loco versus Vergilianos (Georg. 3) in philosophiae suae usum vertit (ep. 108, 24sq.): „sed aliquid praecipientium vitio peccatur, qui nos docent disputare, non vivere,[1]) aliquid discentium, qui propositum adferunt ad praeceptores suos non animum excolendi, sed ingenium. itaque quae philosophia fuit, facta philologia est. Multum autem ad rem pertinet, quo proposito ad quamque rem accedas. Qui grammaticus futurus Vergilium scrutatur, non hoc animo legit illud egregium: ‚Fugit inreparabile tempus' vigilandum est: nisi properamus, relinquemur. agit nos agiturque velox dies. inscii rapimur, . . . ‚Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi Prima fugit: subeunt morbi tristisque senectus Et labor et durae rapit inclementia mortis'. Ille qui ad philosophiam spectat, haec eadem, quo debet, adducit: . . . quid ergo cessamus nos ipsi concitare, ut velocitatem rapidissimae rei possimus aequare? meliora praetervolant, deteriora succedunt. Quemadmodum . . . Inhaereat istud animo et tamquam missum oraculo placeat: ‚Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi Prima fugit'. quare optima? quia quod restat incertum est. quare optima? quia . . ." ita fabulas nec quales traditas habebat idem Annaeus Seneca accepit nec quodam Stoicorum more allegorice interpretatus est, sed cum illas fundamento disciplinae suae instrueret, fabulosis rebus suam sentiendi et cogitandi rationem innexuit atque, ut ab istis turpissimis rebus ad se deficerent homines, efficere voluit. Revera Senecam credidisse praecepta talia salutaria versibus quidem optime pronuntiari demonstramus his ipsius verbis (ep. 108, 8sqq.): „non vides quemadmodum theatra consonent, quotiens aliqua dicta sunt, quae publice adgnoscimus et consensu vera esse testamur? ‚Desunt inopiae multa, avaritiae omnia' ‚In nullum avarus bonus est, in se pessimus'. ad hos versus ille sordidissimus plaudit et vitiis suis fieri convicium gaudet: quanto magis hoc iudicas

[1]) Nonne suspicaberis mehercule haec verba in ipsum patrem ad declamandi exercitationes adhortantem philosophum dixisse?

evenire, cum a philosopho ista dicuntur, cum salutaribus praeceptis versus inseruntur, efficacius eadem illa demissuri in animum inperitorum? „nam, ut dicebat Cheanthes, quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, cum illum tuba per longi canalis angustias tractum patentiore novissime exitu effudit, sic sensus nostros clariores carminis arta necessitas efficit“. Eadem neglegentius audiuntur minusque percutiunt, quamdiu soluta oratione dicuntur: ubi accessere numeri et egregium sensum adstrinxere certi pedes, eadem illa sententia velut lacerto excussa torquetur. De contemptu pecuniae multa dicuntur et longissimis orationibus hoc praecipitur . . ., magis tamen feriuntur animi, cum carmina eiusmodi dicta sunt: ‚Is minimo eget mortalis qui minimum cupit . . .‘ Cum haec atque eiusmodi audimus, ad confessionem veritatis adducimur.“

Quibus in rebus usque eo processit, ut non solum singulas superstitionis res e fabulis repelleret et pro istis salutaria praecepta insereret versibus, sed omnino argumentorum totam tractationem condemnaret apud poetas usitatam omnemque artem tragicam corrigi vellet. Profecto hoc ita se habere iam ex illa ratione conici potest, qua poetae, quos imitatos esse Senecam scimus, poemata composuerint quaque ratione de horum et Senecae poematis grammatici iudicaverint. Ut enim iam Persius Flaccus vita ut revera est nimis neglecta saturas sua doctrina, qualem e Stoicorum libris cognovit, sibi expoliendas esse putavit, ita potissimum Annaeus Lucanus, quem patruum diligentius sectatum esse omnibus constat,[1]) carmine suo epico „Pharsalia“ vel „de bello civili“ inscripto id unum omni conatu molitus est, ut Pompeium Caesaremque suis quidem moribus Annaeanis bonum et malum depingeret suisque partibus res bello civili gestae inservirent. Itaque cum Lucanus nil nisi id ageret, ut hominum sententias sua ratione corrigeret, grammatici quidam adeo hunc poetam despexerunt, ut non iam in poetarum numero, sed potius inter oratores numerandum esse iudicaverint.[2]) Ac

---

[1]) C. Hosius: Lucanus und Seneca, Fleckeis. Jahrb. 145 (1892), 377 sqq.; Diels: Seneca und Lucan, Abhdlg. d. Berl. Akad. d. Wiss. 1885.

[2]) Servius ad Verg. Aen. 1, 382: „Lucanus ideo in numero poetarum esse non meruit, quia videtur historiam composuisse non poema“; et Quintil. 10, 1, 90: „Lucanus ardens et concitatus et sententiis clarissimus, sed, ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam poetis imitandus“.

simili modo non inter poetas tragicos quales tunc esse solebant Annaeum Senecam habendum esse Quintilianum sagaciter sensisse credimus, quod rebus fabulosis philosophiae supellectili inaudita ratione instructis, tantopere ab usitatis tragoediarum rationibus opera eius discessisse videbantur, ut iam potius „poëmata“, quibus homines in suam sententiam sectamque perduceret quaeque philosophus adversus poetas, a quibus dissentiretur de argumentis fabularum tractandis, composuisset[1]) quam „tragoedias“ appellaret. Neque enim de tragica arte Senecam in disceptationem cecidisse ignoras ex Quint. 8, 3, 31: „memini iuvenis admodum inter Pomponium ac Senecam etiam praefationibus esse tractatum an „gradus eliminat“ in tragoedia dici oportuisset.“

Haec quidem de elocutionibus; quod autem ad res componendas et accipiendas attinet, hoc inprimis iam non praefationibus, sed exemplaribus ipsis, quae ad imitandum proposita in tragoediarum artem redigenda erant, moliri debuit. Quid vero voluerit Seneca, id iam ex hac re intellegas, quod inter denotanda vitia, quibus illa tempora laborent, haec dicit ep. 115, 12: „Accedunt deinde carmina poetarum, quae adfectibus nostris facem subdant, quibus divitiae velut unicum vitae decus ornamentumque laudantur. nihil illis melius nec dare videntur di immortales posse nec habere: ‚Regia Solis erat sublimibus alta columnis Clara micante auro‘ (vers. ex Ovid. met. II, 1, citat.) eiusdem currum adspice ‚Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae Curvatura rotae, radiorum argenteus ordo‘ (ibid. II, 107/8). Denique quod optimum videri volunt secutum aureum adpellant. Nec apud Graecos tragicos desunt, qui lucro innocentiam, salutem, opinionem bonam mutent. ‚Sine me vocari pessimum, ut dives vocer. An dives omnes quaerimus, nemo, an bonus. Non quare et unde, quid habeas, tantum rogant. Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit. Quid habere nobis turpe sit quaeris? nihil. Aut dives opto vivere aut pauper mori. Bene moritur, quisquis moritur, dum lucrum favit. Pecunia,

[1]) Unde simplici et evidenti ratione intelleges, cur philosophus et principis moderator „carmina crebrius factitaret, postquam Neroni amor eorum venisset“ (cf. Tac. an. 14, 52); cum enim revera id curaret, ne discipulus easdem „in deteriores artes inclinaret poetarum“, inimici „obiciebant etiam eloquentiae laudem uni sibi adsciscere“.

iugens generis humani bonum, Cui non voluptas matris aut blandae potest Par esse prolis, non sacer meritis parens: Tam dulce si quid Veneris in voltu micat, Merito illa amores caelitum atque hominum movet.' Cum hi novissimi versus in tragoedia Euripidis pronuntiati essent, totus populus ad eiciendum et actorem et carmen consurrexit uno inpetu, donec Euripides in medium ipse prosilivit petens, ut exspectarent viderentque, quem admirator auri exitum faceret: dabat in illa fabula poenas Bellerophontes, quas in sua quisque dat. nulla enim avaritia sine poena est, quamvis satis sit ipsa poenarum."

Ut autem ab his Ovidii carminibus licentiae frivolisque affectibus facem subdentibus moderatio tristisque continentia Annaei Senecae valde dissentiebatur, ita nonnumquam a „puerilibus ineptiis" illius poetae aberat philosophi impetus ingenii[1]) (nat. III, 27, 13/15): „ergo insularum modo eminent „Montes et sparsas Cycladas augent", ut ait ille poetarum, ingeniosissimus egregie, sicut illud pro magnitudine rei dixit: „Omnia pontus erant, deerant quoque litora ponto", nisi tantum inpetum ingenii et materiae ad pueriles ineptias reduxisset: „Nat lupus inter ores, fulvos vehit unda leones". Non est res satis sobria lascivire devorato orbe terrarum. Dixit ingentia et tantae confusionis imaginem cepit, cum dixit: „Exspatiata ruunt per apertos flumina campos Pressaeque labant sub gurgite turres". Magnifice haec si non curaverit, quid opes et lupi faciant. . . . Concepisti imaginem quantam debebas obrutis terris omnibus caelo ipso in terram ruente: perfer. scies quid deceat, si cogitaveris orbem terrarum natare." Hanc igitur causam Senecae tragici vitiorum invenimus, quibus omnia usque in summos impetus efferuntur; ac quodam iure suspicatus est Lessing illud: „Lauter Fehler, in die ein schlechtes Genie niemals fallen wird".

Imprimis id autem efficere cupit, ne usitato more ad misericordiam, sed ad aemulationem virorum fortissimorum fabulis poetarumque operibus incitentur homines (de tranq. an. 16):

[1]) Ne in quaestione nostra neglegas, quam diligenter atque acute Annaeus ab hoc tragico poeta, quem „poetarum ingeniosissimum" appellet cuiusque improbam rationem vituperet, Vergilium discernat, quem de brev. v. 9, 1 „maximum vatem et velut divino ore instinctum salutare carmen canentem appellet cuiusque versus ubique laudet.

„Sequetur pars, quae solet non inmerito contristare et in sollicitudinem adducere, ubi bonorum exitus mali sunt: ut Socrates cogitur in carcere mori, Rutilius in exilio vivere, Pompeius et Cicero clientibus suis praebere cervicem, Cato ille, virtutum viva imago, incumbens gladio simul de se ac de republica palam facere. Necesse est torqueri tam iniqua praemia fortunam persolvere: et quid sibi quisque nunc speret, cum videat pessima optimos pati? Quid ergo est? vide quomodo quisque illorum tulerit, et si fortes fuerunt, ipsorum illos animos desidera! si muliebriter et ignave perierunt, nihil periit. . . . quid enim est turpius quam si maximi viri timidos fortiter moriendo faciunt? Laudemus totiens dignum laudibus et dicamus: tanto fortior, tanto felicior! . . . non tu dignus mala fortuna dis visus es, sed indignus, in quem iam aliquid fortuna posset. . . . Neminem flebo laetum, neminem flentem: ille lacrimas meas ipse abstersit, hic suis lacrimis effecit, ne ullis dignus sit. (— Talis illa Octavia haudquaquam digna est, de qua tragoediam composuerit Annaeus Seneca —). Ego Herculem fleam, quod vivus uritur, aut Regulum quod tot clavis transfigitur, aut Catonem, quod volnera sua iterat? Omnes isti levi temporis inpensa invenerunt, quomodo aeterni fierent, et ad inmortalitatem moriendo venerunt."

Qua ipsa de causa illud, quod saepius mirati sunt viri docti, philosophum poetam effecisse apertum est: ipsa in scaena liberos a Medea mactari. Neque enim ullo modo levius hanc caedem tristem, in qua virtutis nihil inveniri doluit quamque tamen omnino tacere nequivit, verbis attingere potuit recitandis in tragoediis quam in scaena, quae videtur, simpliciter patratam, cum illas Polyxenae et Astyanactis caedes, quae summa virtute collucerent, magno cum ambitu verborum a nuntiis pronuntiari iusserit.

Etiamnum credis nil amplius sibi proposuisse in fabulis Annaeum Senecam quam hoc quod Leo vult (l. l. I, 158): „istae declamationes . . ., in quibus si quid venuste vel acute dictum, floride et figurate descriptum, copiose narratum esset, plaudebant auditores, arti satisfactum erat"; (ibid. pag. 159): „iam summum negotium erat sic omnia contrahere et amplificare ut quam uberrima declamandi describendi altercandi materia et locus suppeteret"? Cui sententiae haudquaquam

assentimur; immo tantum, opinamur, aberat, ut Seneca nil nisi ista peteret, ut non solum fabularum argumenta, quae turpissima tradita sibi viderentur, amplissimis suae philosophiae placitis illustraret atque ex suo ingenio interpretaretur, sed etiam rationem, qua illo tempore tragicam artem homines comprehenderent, suo proposito corrigeret; neque vero hoc vile habendum est.

Conspectus.

Vita auctoris.

Natus sum Carolus Henricus Gustavus Paulus Schäfer a. d. V. Kal. Iun. MDCCCLXXXV in vico Grossromstedt apud urbem Apoldam sito patre Carolo matre Carlotta e gente Setzkorn, quos parentes optimos ambos adhuc superstites colo gratissimo animo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis per tres annos imbutus Isenaci gymnasium Carolo-Fridericianum novem per annos frequentavi. Vere anni MCMIV maturitatis testimonium adeptus Ienam me contuli ubi postquam annua stipendia meritus sum, studiis maxime antiquarum litterarum et germanicis operam dedi.

Docuerunt me viri doctissimi Delbrueck, Detmer, Dinger, Eucken, Goetz, Graef, Hirzel, Leitzmann, Liebmann, Lietzmann, Michels, Rein, Schrader, Stoy, Thuemmel, Weinel, Wilhelm.

Cum proseminarii et seminarii germanici, cuius ad exercitationes Michels benigne mihi aditum praebuit, ordinarius fui sodalis per bina semestria, tum scholis proseminarii philologici Gelzer, Goetz, Hirzel moderantibus et seminarii philologici Goetz et Hirzel moderantibus per terna semestria interfui sodalis.

Quibus praeceptoribus omnibus gratias habeo quam maximas, inprimis vero Georgium Goetz et Rudolfum Hirzel, quorum egregium consilium ac benevolentiam in studiis meis expertus sum, pio gratoque animo semper colam.